
NAZIONALE
13
20 E
17
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE



Eminentiſs:mo & Reverendiſs:mo D:no

N. N.

SACRÆ
CONGREGATIONIS CONCILIJ

CARDINALI.

EPISTOLA R: P: D:


FRANCISCI TRIVISANI

Patricii Veneti Sanctiſſimi D. N. Papæ V. S. Referendarij, ac ejus Sacræ Conſultæ Ponentis &c.

IN RESPONSIONEM THEOLOGICO-LEGALEM EDITAM IN

Romana Juramenti Rei deferendi.

In Quinque Articulos diſtributa.





VENETIIS Typis Hieronymi Albricci 1698.

CENETÆ 1724. Ex Typographia Epiſcopalis per Dominicum Bordonum. *Superiorum Permiſſu.*

LIceat hunc Librum imprimere extra Romam servat. servand.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd.
S. A. P. Magister.

Locus ✠ Sigilli.

Noi Refformatori dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. F. Ant. Leoni Inquisitore nel Libro intitolato *Epistola R. P. D. Francisci Trivisani Patritii Veneti &c. in responsionem Theologico-legalem editam in Romana Juramenti Reis deferendi*, non esservi cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi esser Stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Data 13. Agosto 1698.

(Antonio Grimani Kav. Proc. Ref.
(Sebastiano Foscarini K. Proc. Ref.
(Girolamo Venier Kav. Ref.

Agostin Gadaldin Seg.

ARTICULUS PRIMUS.

SECUNDUS.

TERTIUS.

QUARTUS.

QUINTUS.

AR-

Eminentiſs. & Reverendiſs. D.



Ccepi *Reſponſionem Theologicolegalem in Romana Iuramenti Reis deferendi*, quam Eminentiſs. & Reverendiſs. Dominatio Tua dignata eſt mihi tranſmittere, diligenterque perlegi, utque morem geram, benignæ humanitati tuæ quid de illa, pro veritate ſentiam exquirenti, ſic meam ſententiam proferre non detrecto, ad majorem æternæ Veritatis gloriam, necnon Chriſtifidelium ſalutem, quorum cenſuræ obſequenter omnia ſubmitto.

Eam equidem elaboratiſſimam, ingenioſiſſimam, multiſque allegationibus, ac eruditionibus refertam inveni, adeo ut ſine contradictione dignè approbandam in *ABSTRACTO* omninò cenſerem, niſi difficultas in *CONCRETO* ſubjectæ Quæſtionis (de qua, ut patet Eminentiæ Tuę, me primum anonymum promotorem fateor) non pænitùs evacuata mihi videretur.

ARTICULUS. I.

Sumpta occaſione Quæſtionis exponitur Praxis Criminalis; tanquam neceſſarium Aſſumpti fundamentum.

I. AUctor in primo Articulo ejus Reſponſionis ſic proponit, Ibi, *Ex pluribus Sacræ Scripturæ locis & Canonicis, atque Civilibus Sanctionibus probatur antiquitas, & authoritas huius conſuetudinis*: Ibidemque pro illa firmanda quàm plures Auctores ipſam conſuetudinem canonizantes affert.

II. In aliis verò quatuor Articulis Quęſtionem Theologicam alterius anonymi Authoris, nec non diſcurſum Ignoti pariter Calami confutare conatur; &

cum nec prima, nec secundus; nec tot aliæ quidem Scripturæ, seu Allegationes vel pro, vel contra, in hac Controversia emanatę ad manus meas nunc usque pervènerint, earumdem Authoribus respondendi curam relinquendo, obiter tantùm quidquid ego observavi ad præfatos fines exponam.

Manichæorum ex D. Bonav. 3. dist. 39. art. 2. q. 1. D. Bernard. Homil. 6. in cant. Catharistarum Pseudo Apostol. apud Alph. de Castro.

III. Procul igitur dubio à nemine ex prædictis impugnatum esse unquam censeo, licitum esse in Judiciis jurare, necnon à Judice juramentum exigi posse; aliter in errorem quamplurium Hæreticorum offenderent; cum clarè hoc pateat permissum in *ABSTRACTO* ex sacris Litteris tum in Novo, tum in Veteri Testamento, atque apertè sancitum sit per Sacros Canones, ipsasque Leges Civiles.

Ioannis Vulticleff. damnat. per Mart. V. in Concil. Constantien. ut ex ejus prima Bulla. in Bullar. nov. tom.... atq. Anabatistar. & quam plur.

IV. Sed difficultas stat in *CONCRETO* nostræ Quæstionis, nempè in diversitate, *Causa*, *Formę*, *&* *Finis*: Ideoque videndum prius *in Quibus terminis*, *Quomodo*, *&* *Ad Quid* exigere Juramentum per Sacram Paginam, ac Juridicas Sanctiones permittatur, & inde si eadem serventur hodie in nostra Praxi Criminali: hisque jactis distinctionum, ac diversitatum fundamentalibus principiis, perquirendum fore credo, si expediat, quod talis consuetudo (quæ Corruptela potius, & Abusus vocanda) sit adeò Necessaria, adeoque Utilis, ut præcipuè in tam Sancto Gubernio, & sub hoc Sanctissimo Principe servari conveniat, vel tanquam superflua, nulliusque necessitatis, minusque utilitatis abroganda potius videatur:

V. Ut autem, quò materia nimis intricata permittit, faciliori modo assequamur, antequã ipsorum Textuũ, ac Sanctionum explanationem aggrediamur Methodum nostræ Praxis Criminalis communiter à Doctoribus traditã, opere pretium censeo præventivè referre:

Bartol. in l. instr. omnes § in fin. ff. de fortibus & lege

VI. Praxis ergò Criminalis docet, quod in omnibus Causis vel Levibus, vel Gravibus, vel quoque Gravissimis,

mis, in quibus ipsa Necis pœna irrogatur, semper à prætenso Reo Juramentum *de fatenda veritate* exigatur; Et hoc ante omnia, & in quolibet ejus examine, non solùm in primis Constitutis, & successivis Contestationibus Indiciorum, verùm etiam in ipsis Rigorosis Examinibus, quæ vi tormentorum exquiruntur, adeo ut, Exempli gratia

VII. Prætensus Reus deventus in Posse Curiæ paucis sufficientibus Indiciis, imò nullis intervenientibus, (ut observavi in aliquibus casibus,) statim interrogatur, prævio semper Juramento *de fatenda veritate*, quod exigitur non solùm quando Fisco non remanet spes probandi aliunde delictum, sed incohata vix causa, & quando pluribus aliis (ut infra dicam) remediis non solùm posset ipse Reus graviter inditiari verùm etiam convinci; Et quod plus est non interrogatur tantùm si talia, & talia patrasset. sed à Judice quampluribus artificiosis Circumlocutionibus, Interrogatoriisque ad fatendum, vel saltem ad sese Mendaciis, Improprietatibus, & Contradictionibus illaqueandum tentatur, itaut in callido Duello Reus, & Iudex insimul concertare videantur per tot vices, tantumque temporis spatium, quot, quantumque ipsi Judici interroganti placuerit; Et si Reus in responsionibus, medio prefato juramento, suam innocentiam ostentaverit, non inde tamen causa definita remanet, ipseque dimissus; Sed Fiscus tunc studet cumulare indicia, non tantùm directa in delictum, verùm etiam indirecta super ante habitis pretensi Rei responsionibus, ad detegendum aliquod Inverissimile, seu Mendacium, de quo Mendacio licèt postmodum, vel per Testes, vel per successivas ejus confessiones idem Reus convincatur, non tamẽ de perjurio punitur, sed Mendacium, in substantialibus circa delictum solummodo pro indicio ad torturam cumulatur.

prima post. num. 6. C. de juram. calumn. ubi testat de consueto stylo Italię, & ibi. Bald. n. 8. ubi dicit: quod ita observat consuetudo. Marsili. in l. Quæstionis habenda n. 72. ff. de quæst. Corrad. pract. fol. 280. in principip. Gomez. cap. 1. de delictis n. 65. Cla. § final. q. 45. n. 9. circa med. Carthar. I pratt. interrogand. Reor. lib. 3. c. 3. n. 6. Ambros. in proces. inform. lib. 2. c. 6. sub n. 2. ubi dat formam, & sub num. 28. Scac. de Iudic. lib. 1. c. 86. sub. n. 13. Scac. de Iudic. lib. 1. c. 86. n. 35. vers. Secunda quia si lex circa med. & seq. Carthar. prat. interrog. reor. lib. 2. c. 1. n. 17. & seq.

Clar. dict. §. final. q. 45. nu. 10. Alex. in apostil. ad Bart. in l. 1. sub. n. 1. ff de bon. cor. cui contrad. Berous. q. 134. nu. 3. Boss. de perjur. n. 3.

Clar. dict. §. final. q: 45. d. n. 10. Paris de Puteo de Sind. fol. 448 post. 4. Grama cons. 5 n. 5. Boss. de indic. n. 36 & 58. Novell. trac. ad defens. fol. 15. post. num. 5.

VIII. Studet igitur semper Judex, ut dixi, inditiare Reum omnibus exactissimis diligentiis, ac exquisitissimis *Inventis*, quorum aliqua numquam approbavi; nec unquam approbaturus ero; Prout est illud, quod passim de stylo fit, licet, ut dicitur, pro sola instructione animi Judicis: Mittitur nempe in eundem carcerem unà insimul cum prætenso Reo Speculator, qui proditoriis suggestionibus eum tentet, ad detegendum aliquid contra seipsum; Sicut pariter est id, quod de more datur, etiam contra Reformationem Pauli V. ac finem Judicis qui est Indagator veritatis, de directo tendat, videlicèt: Extrajudicialiter audiuntur prius singuli Testes, antequam in Processu Informativo eorum depositiones accipiantur, & si aliquid ad favorem Fisci afferant, tunc judicialiter eorum dicta recipiuntur: Si verò ad favorem prætensi Rei aliquid dicunt, tunc illi dimittuntur, eorumque depositiones recipere judicialiter recusantur, præter alias cautelas, & diligentias, quæ utinam non adhiberentur, dum tanquam illicitæ, quando in lucem prodeunt, & si modò puniuntur, tractu temporis verò, invalescente usu, convalidari poterunt.

Farinacc. q. 81. n. 808.

Guazzin deffes. 14 c. 2. n. 3. Ambrosin. process. informat. lib. 1. c. 1. n. 9:

Guazzin. d. deffen. 14. c. 2. nu. 5. Bald. trac. de Test. par. 2. n. 24. Macerat. variar. resol lib. 3. resol: 36. num. 8.

Cumulatis denique sufficientibus indiciis, denuò prætensus Reus, ut supra, ad examinis certamen vocatur, *prævioque semper juramento de veritate fatenda*, fortioribus Interrogatoriis lacessitur, qui si in assertiva suæ innocentiæ persistat, tunc & indicia acquisita, & idemmet prætensum delictum ipsi contestatur, & si contra opposita, rationes, & exceptiones contrarias quoque adducendo, in continua negativa perduret, negando etiam præcisè, se unquam tale delictum commisisse, tunc nullo habito respectu ad ejus iuramentum, nec per illud dimittitur, nec adhuc Causa definitur: Sed Fiscus iterum, atque iterum curat impinguare Processum, novaque indicia contra eundem

Ambrosin. lib. 2. c. 8. n. 28. § Sempronius & sequen.

Reum

Reum cumulare, quæ poſtea eadem methodo illi conteſtantur, & hoc quouſque ſupereſt ſpes cumulandi pro Fiſco, & donec non ſit concluſum in Cauſa: Quinimo, reprobante, communi Doctorum ſententia, pariter *ex Praxi*, in quibuſdam Tribunalibus etiam poſt concluſum in Cauſa Proceſſum impinguare nonnunquam tentatùm notavi.

Vulpell. conſ. 108. n. 1. Clar. § fi. q. 61. verſ. ſed quæro. Theſ deciſ. 162. in princ. Farinac. q. 75. n. 407. & 412. Guazz. defenſ. 21. c. 7. n. 203. Ambroſin. l. 3. c. 1. n. 55. ubi quod Iudex ſolet opponere clauſulam ſine præiudic. ulter. Proceſſus.

X. Tot inde peractis, *Terminus ad faciendas ſuas Defenſiones* prætenſo Reo *aſſignatur*, prævia verò eius Declaratione *de habendis prò Ritè, & rectè examinatis Teſtibus Fiſci*, & hoc etiam mihi durum videtur, quod Reus debeat declarare ſe habere *prò Ritè, & rectè examinatis Teſtibus* priuſquam ipſi tradatur Copia Proceſſus, ut poſſit ſe certiorare de eo, quod act..m fuit per Fiſcum, & quod cõtra ſe Teſtes deponunt: Imò ſi Reus recuſat ad huiuſmodi declarationem devenire, tunc eo invito, Fiſcus legitimat proprium Proceſſum per *Teſtium Repetitionem*, quo facto tunc poſtremò conceditur Copia ipſius Proceſſus prætenſo Reo; qui ſi vult ſe defendere, debet producere Articulos, & antequam admittantur attentiſſimè a Iudice examinantur, Procuratore Fiſcali, tam in hoc, quàm in omnibus aliis Actibus ſemper Inſtante, Contradicente, & Proteſtante, ne in aliquo Jus Fiſci lædatur.

Ambroſin. d. lib. 3. c. 1. n. 18. ubi dat formā & nu. 31. Cartar. in prat. interrog. reor. lib. 3. c. 3. n. 62.

Cartar. d. lib. 3. c. 3. nu. 63. Ambroſin. d. lib. 3. c. 1. nu. 40 & 48. Onded. conſ. 101. n. 26. 28. & ſeq.

XI. Admiſſis articulis, ſemper tamen ſub Clauſula *Si & in quantum*; Procurator Fiſcalis, & per eum quandoque ipſe Judex dat interrogatoria, quibus & attentiſſimè ſtudet præcavere, ne Teſtes inducendi ad Rei defenſam indicia pro Fiſco acquiſita deſtruant, vel in parte debilitent; imò iiſdem interrogatoriis ipſos Teſtes pretenſi Rei inducere conatur ad fatendas proprias turpitudines, vel alias juridicas exceptiones contra ſe ipſos, ut quidquid favore eiuſdem Rei medio etiam iuramento deponant iuridicam fidem obtinere non poſſit; Ac ſuper iis Interrogatoriis ipſi Teſtes primò

Clar. § fin. q. 12. n. 3. in fin. Cravit ſup. rit. magn. Cur. rit. 258. a. Guazzin. defenſ. 28. cap. 6. ſub. num. 4.

Guazzin. dict. cap. 6. num. 5.

mò ſemper ſtrictiſſimè examinantur, poſtea ſuper Articulis, & in hoc nequaquam ſervatur æqualitas; Nam ſi predicti Teſtes inducti ad Rei defenſam in Articulis aliquid deponant contra ipſum Reum, non refutatur, ut fieri in examinandis Teſtibus pro Fiſco ſupra diximus, ſed recipitur, & contra prætenſum Reum cumulatur.

Ambroſin dict. lib. 8. c. 2. 2.

XII. In quo etiam duriſſimam aliquando obſervavi Praxim, dum nempe ſæpius Fiſcus detegendo ex Articulis productis pro parte pretenſi Rei in quo fundetur intentio illius ad ſui defenſionem, prævidendo ſcilicet, vel quod vult inducere Teſtes ad probandum aliquid, quod deſtrueret Proceſſum Fiſci, vel quod Fiſcus in aliquo defecerit, ex quo prætenſus Reus ſe defendere poſſet, allegando, talia non eſſe concludenter probata, ſeu quod ad adimendam fidem Teſtium Fiſcalium curat in eis aliquas Legales Exceptiones invenire, ac demum quoties ex articulis Rei Fiſcus deducit aliquod lumen pro ſuſtentando proprio Proceſſu, illoque meliorando, conditionem verò prætenſi Rei peiorem reddendo, tunc Fiſcus ſeſe munit, ac præventivè Proceſſum informativum denuò impinguat, tentatque novas probationes, ac indicia cumulare. Imò etiam poſt factas defenſiones ſæpenumero eas adſtructas evertere conatur, probando defenſiones non ſubſiſtere contrariis probationibus, vel Repulſa Teſtium: & hoc quando etiam intervenit Pars adverſa Reo, Adhærens Fiſco, itaut ſuſpicionem illam ſubornandi Teſtes inductos ad defenſam Rei, quæ cadere non poteſt in ipſo Fiſco, bene in Parte ei Adherente pertimeſcendam omnes Doctores non ſine admiratione concludunt.

§ ſi quis Teſtibus cod. de Teſtibus cap. 3. verſic: ſiquis 4. q. 3. Farinacc. q. 62. n. 211.

Nata conſ. 359. vol. 2. Gabr. concluſ. 22: n. 99. tit de Teſt. rel. per Guazzin. def. 24. c. 7. n. 2. ubi quod poſt. didicita teſtifica ta de novo producuntur. Teſtes. & melius Farinacc. q: 75. n. 414. & 419. circa med:

Foler in Praxi cri. verb. concedatur repulſa num. 21.

Urſill. ad Afflict. deciſ. 219. ſub nu 4. verſ. ad offenſa Partis. Surd. conſ. 118. n. 3. & conſ. 104. n. 37. Farinacc. qu. 75. num. 424.

XIII: Abſolutis ergo defenſionibus ex parte Rei, Fiſcus reſpondere in Jure poteſt quoties ipſi placuerit, Reus verò quam minimè, dum ultimus locus ſemper

ab ip-

ab ipso Fisco in scribendo occupatur: Quibus etiam peractis, postremò deducuntur ad Trutinam juditii omnia, quæ tum ex parte Fisci, tum ex parte prætensi Rei cumulata fuere; Et quamquam in omnibus eius constitutis, semper medio juramento prætensus Reus se innocentem asseruerit, & testes ad eius defensionem adducti medio pariter eorum iuramento inditia Fisci destruxerint, non inde tamen definitivè resolvitur Causa pro parte Fisci, nec prætensus per antea Reus, tamquam innocens tunc dimittitur, sed Fiscus vult semper conservare tale quale Ius super eodem, & ideo priusquam Excarceretur cogit semper eum *ad præstandam Fideiussionem de se repræsentando, quatenus nova superveniant Indicia*, vel etiam, *Non Novis supervenientibus Inditiis*, ita ut Fiscus resservet sibi facultatem revocandi eumdem ad carcerem, & aliquo modo uti eodem processu, qui post tot diligentias, tot Juramenta, totque Purgationes consumptus tandem esse debere videtur.

Clar. qu. 64. nu. 38. Boss. tit. de Sentent. n. 68. & seq. Farinac. q. 4. n. 26. in secunda Ampl. & n. 27. Cabal. cas. 43. n. 19. & seqq. Guazzin. defens. 2. c. 6. nu. 14.

XIV. Atsi prætensus Reus factis Defensionibus, vel etiam non factis, innocens patenter appareat, tunc Fiscus nec quidem eum simpliciter absolvit, sed recurrendo ad subterfugia tantùm eum dimittit *exbactenus deductis*, aut *tanquam non repertum Culpabilem*, vel ad summum *tanquam repertum non Culpabilem*. Eximia namque cautela Fiscus curat quem semel processavit Innocentem nunquam declarare, quamvis in eum nullum Indicium acquisierit, vel Defensionibus penitùs expurgatum reperierit: Unde vel rarissimè accidit, quod relaxetur aliquis *ex capite innocentiæ*, nisi luce meridiana clarior probata concludentissimè refulgeat, adeout exemplum fere singulare remanserit, illud Negativæ de loco, & tempore Coarctatæ, per quam prętensus Reus irrefraganter obiectum Crimen excludit, quod tamen ipsi

Boss. tit. de sentent. n. 65. Farinac. q. 57. n. 24. in fin.

ipsi Reo assequi perdurum est, ob consuetas Cautelas Fisci non admittentis Testes ad ipsam Negativam probandam, nisi priùs in carceribus constitutos: Itaut difficillimè Testes reperiantur, qui talia subire præstent, accedente potissimùm periculo sese etiam illaqueandi Interogatoriis faciendis à Fisco, quem presertim nesciunt quibus præcautionibus præmunitum contra seipsos inventuri sint:

Cortiad. decis. 21. n. 131. p. 1. Scanerol. de Visit. carc. lib 2. §. 3 c 2. a. n. 8. ubi de stylo Romanæ Curiæ.

XV. In quo pariter equalitas adeo per Canones, Leges, & Doctores in Judiciis inculcata desiderari contingit, nam si Reus vult probare dictam Negativã, nempe de tempore delicti non fuisse, nec esse potuisse in loco eiusdem delicti, Testes per eum inducendi non nisi in carceribus admittuntur: si verò Fiscus, vel etiam Pars ei Adhærens (in qua, & quidem maxima cadet suspicio Subornationis, non tantùm æqualis ac in prætenso Reo, sed etiam major, dum iste in carceribus restringitur, & illa in libertate posita majorem subornandi Testes commoditatem habet) vult probare de eo tempore prætensum Reum in loco fuisse delicti, vel similia, ad convincendum ipsum de obiecto crimine; tunc Fisco, & Parti ei Adherenti sufficit indicare Testes; qui ex officio ab eodem Fisco vocantur, extraque Carceres, & in totali eorum libertate examinantur, nullis præcedentibus cautelis ex parte Rei, nullisque eius artificiosis interrogatoriis, itaut, quamvis verum sit, quod iidem Testes postea repetantur cum interrogatoriis ex parte Rei, attamen casus multum, & multum differt; Nam aliud est dare interrogatoria Testibus priusquam deponant; aliud est, postquam medio juramento jam deposuerunt; In hoc namque casu benè prævident, quod si suam depositionem retractent, debent priùs succumbere tormentis *ad purgandam maculam, & ad videndum in quo dicto persistant, & à quo fuerint subornati*, deindeque ad pœnam Periurii, acre-

Clar. §. fin. q. 2. v. item quæro. Cartar. de execut. sent. c. fin. n. 175. Ambros. Process. informat. lib. 1. cap. 2. n. 3. & 4.

Clar. § fin. q. 45. versic. cæter.

Clar: dict. §. fin. q. 25. per tot. Boss. tit. de tort. Test. n. 9. & seq. Ambros. dict. lib. 1. c. 4. n. 1.

ac respectivè subornationis obstringi.

XVI. Verùm omne id agitur, quando prætensus Reus à Fisco non est sufficienter, vel penitus inditiatus, seu quando suam innocentiam probavit, aut denique cum se Defensionibus totaliter expurgaverit ab omnibus indiciis; Secus autem est, ubi non totaliter expurgatus existat; Nam tunc, licèt medio Juramento in tot, tantisque suis Constitutis repetito septies, atque septies sese Innocentem, atque Innocentissimum asseruerit, non inde tamen ei creditur, talisque Purgatio Canonica pro nihilo reputatur, sed non obstantibus Defensionibus ab ipso factis, adhuc si contra ipsum illæsa aliqua indicia remaneant, tunc si ista sunt levia, intrat Arbitrium Judicis, quod in aliquibus casibus, nempè Furti, & similibus extenditur usque ad Exilium sub pœna etiam Triremium per quinquennium, quod licèt dicatur fieri ad *Expurgandam Provinciam*, & non per viam Condemnationis, semper tamen Exilium sub prædicta comminatione est Pœna, & quidem gravis, cum in delictis Furti, & similibus, in quibus potissimè practicatur, irroget infamiam, nec unquam *de stylo* ab hujusmodi Exilio remittatur: Si autem inditia sunt graviora, ac etiam talia qualia, positivè condemnatur ad Exilium sub pœna, uti supra, irremissibiliter etiam pro prima vice incurrenda, & si Titulus delictorum est de Gravioribus, vel de Gravissimis, Arbitrium Judicis *ex Praxi* ad quid amplius etiam extenditur. Si autem Inditia, quæ adhuc adversus prætensum Reum remanent, sunt relevantia ultra, aut circa Torturam, tunc pariter intrat Arbitrium Judicis, qui potest vel eum torquere, vel condemnare in penam Extraordinariam, nempe mitiorem illa pro obiecto delicto à Legibus, vel Communibus, vel Municipalibus stabilita, habito tamen respectu ad ipsam inditiorum

Farinacc. q. 40. nu. 13. & seqq. Spada cons. 124. n. 16. li. 1.

L. si furti, & ibi Gloss. in verb. ignorantem. Cod. ex quibus caus infam. irrog. Farinac. q. 17. nu. 8. & seq.

Spada dict. cons. 124. nu. 16. & 17. lib. 1.

Farinac. q. 51. n. 64. & ante eum Bald. in l. fin. num. 5. vers. si autem Cod. de probat.

B

tiorum

tiorum relevantiam, & in hoc etiam *in praxi* observavi, quod nonnunquam Judicis Arbitrium regulatur à consideratione qualitatis prætensi Rei: Nam si detegitur Malitiosus, vel nimis Robustus, itaut posse substinere tormenta videatur, tunc potiùs præfatum remedium condemnandi eum in Pœnam Extraordinariam amplectitur: Ac idem etiam practicatur quando Reus est in parte confessus, & est torturandus *pro babenda eius ulteriori confessione*, quod quamvis in hoc casu semper præcedat Protestatio Fisci de habenda ulteriori depositione in tormentis *absque præjudicio confessatorum*, attamen quando suspicatur, Reum posse ex nimia eius calliditate *variare*, vel propriam *revocare confessionem*, tunc ad effugiendas etiam omnes disputationes cum eius Defensoribus, intrat idem Arbitrium pro condemnatione in Pœnam Extraordinariam.

Ambros. process. informat: lib. 4. c. 3. per tot. c. 8. n. 2.

XVII. Non omittendo animadvertere, quod toties quoties in Curia coram Judicibus proponatur aliqua Criminalis Causa sive agatur de instructione, vel Impinguatione Processus, sive de Reo Torturando sive de Arbitrio in eum extendendo, sive denique de eo, prout de jure, expediendo, & de Causa totaliter Definienda, semper Procurator Fisci, sua Jura, tum verbis, tum scripturis tuens assistit, cum nullus Procurator pro parte Rei adesse permittatur.

Scanerol. de visitat. carcer. lib. 1. c. 4. §. 12. & cap. 6. Sect. 1. num. 54.

XVIII. Si verò ex prædictis inditiis torturandus prætensus Reus videatur, secundùm qualitatem, & relevantiam eorumdem inditiorum Qualitas, & Quãtitas temporis Tormentorum à Judice regulatur; Ductusque tunc Reus in attrocius Duellum, prævio pariter ejus *Iuramento de veritate fatenda* strictius à Iudice interrogatur. & si is in Negativa persistat, Tunc non obstantibus tot ejus juramentis, ut dixi, nullaque habita consideratione ad tot *torturas animæ* per ipsum

Clar. q. 25. vers. torqueant. Ambros. process. informat. lib. 1. c. 4. n. 2.

latas

latas, ad torturandum ejus Corpus descenditur, qui sic in tormentis positus ad fatendum delictum à Judice stimulatur, & compellitur, per tantum temporis spatium quantum fuit priùs decretatum. Ac quando intrat Tortura Repetita, quæ biduo infertur, vel tormentum Vigiliæ, quod datur in Atrocissimis Delictis, & Urgentissimis accedentibus Inditiis (Quamvis in aliquo Tribunali minoribus etiam cõditionibus infertur) & quod pariter tormentum bipartitur aliquibus scilicèt horis, præmittendo Torturam per mediam horam ad debilitandum magis prætensum Reum, posteaque tormentum Vigiliæ infligitur, tunc in omni actu prævium juramentum de veritate fatenda à prætenso Reo semper exigitur. Si autem in dictis Tormentis tãdem Reus fateatur delictum, idque postea ratificet extra Tormẽta, atque eius Confessio verificetur, & in terminis sibi assignatis *ad dicendum contra propriam confessionem* nihil relevans in contrarium afferat; tunc nulla habita consideratione de tot contrariis ejus juramentis: huiusmodi ultimæ Depositioni vi tormentorum emanatæ, tanquam verissimè creditur. At solummodo ad pœnas pro tali Delicto a Legibus impositas Reus condemnatur, nulla facta mentione, seu habita consideratione de pœna Perjurii, adeout detur nonnunquam casus, quod pœna Delicti mitior sit, quàm pœna Perjurii, & tamen Reus sola Delicti pœna punitur, ex hoc præcipuè contingit quando Reus, ut diximus, in pœnam extraordinariam cõdemnatur, atque solummodo in his casibus potest dici quod verè, & propriè inter Fiscum & Reum servatur æqualitas, dum nec Fisco ad augendam pœnam Perjuria quidquam prosunt, nec pro Reo quidquam tot Juramenta opitulantur.

Cartar de interr. reo lib. 4. c. 2. n. 4. & 5.

Ambros. lib. 4. c. 2. & melius Farinac. q. 83. num. 96.

Cartar. de interrog. reo lib. 4. c. 2. n. 7. & 8. Farinac. q. 38. nu. 78. Guazzin. defens. 3. c. 21. n. 13.

Ambros. Process. inform. lib. 4. cap. 10. n. 1. ubi dat formam.

Clar. §. fin. q. 65. v. 1. Bertaz. cons. 95. nu. 13. lib. 1. Farinac. q. 81. n. 3.

Clar. §. fin. qu. 45. num. 10.

XIX. Non prætermittam etiam aliud Arbitrium Judicis, quod in casu torquendi Rei practicari solet,

non inferendo; ſcilicet, in aliquibus caſibus integrum Reo Tormentum juxta Relevantiam Inditiorum; ſed aliquod ſpatium temporis reſervando, videlicet, ſi inditia, & Delicta requirebant integrum Tormentum Vigiliæ per duodecim horas: Judex mandat inferri tantùm per ſeptem, vel decem, ad hoc, ut ſi Reus illud negando ſubſtentet, poſſit poſtea in ſupplementum integri Tormenti condemnari ad Pœnam Extraordinariam, quæ etiam rigoroſè extenditur iuxta qualitatem Delicti; Quod mihi pariter duriſſimum videtur pro Reo, quem ſicut nunquam juvat ſe expurgare Purgatione Canonica Juramenti tot tantiſque vicibus per ipſum delati. ita pariter aufertur quoque modus plenè ſeſe purgandi per Purgationem tormentorum Corporis: Ex quo clarè patet, minus; atque minus exiſtimari *Torturam Animæ*, quæ eſt juramentum Reo quoties opus fuerit paucis, atque etiam nullis præcedentibus inditiis illatum, nec unquam in aliqua parte diminutum, ut aliquantulum pœnam temperet: quam æſtimari torturam corporis, quæ ex indiciis equivalentibus ſolummodo infertur, & ne totaliter Reum expurgare queat; dimidiatur.

Caball. caſu. 93. n. 29. & 288. n. 23. cum ſeqq. Guazzin. defenſ. 30. c. 40. n. 3. circ. medium.

Abbas in cap. per tuas de probat.

Abbas ubi ſup. n. 11. Scacc. de Judic. lib. 2. cap. 8. n. 276.

XX. At ſi tandem infertur Reo totum Tormentum, & ipſe ſemper in Negativa perſiſtat, tunc eius Cauſa in Judicium defertur, & expeditur. *prout de jure*, & aliquando, & in aliquibus caſibus relaxatur Reus, data prius fidejuſſione de ſe repreſentando, forma ſupra relata, adeout nec poſt tot experimenta; totque expurgationes Animæ, & Corporis Cauſa dici poſſit terminata: quia, ut ſupra, poteſt iterum revocari Reus ad Carceres, quin etiam ſepiſſimè, precipuè in furtis, & ſimilibus vidi relaxari Reum injuncto exilio à toto Statu ſub pœna etiam Triremium; nec inde poſt tot prædictas Purgationes remane-

L. 1. § 1. ff. de qu. Roland. conſ. 12. n. 31. li. 3. Onded. conſ. 109. n. 5. Farinac. q. 37. n. 1. & conſ. 6. n. 21. & conſ. 83. n. 3.

Clar. § fin. quæ. 21 verſ. illat. reo tortur. quem citat. Ambroſ. d. lib. 4. c. 3. n. 10.

Farinacc. q. 40. n. 13: & ſeqq.

manere absolutum, quia Pęna Exilii cum tali Comminatione non levis est, immò gravissima præcipuè dum irrogat infamiam, & quod peius est, nunquam de stylo tale exilium remittitur, ut suprà.

Boss. tit. de carc. §. deiuss. commit. nu. 7. Bonacos commu. opin. par. 1. vers. c. pan. col. 2. Farinac. q. 19, n. 17. in fin.

XXI. Cætera Arbitria, & Cautelas, atque Remedia omitto referre, quæ si modò tanquam illicita, damnantur, tractu temporis (ut dixi) in Praxi reduci possunt.

ARTICULUS. II.

Enucleantur Sacri Textus; necnon Canonici, & Civiles ex adverso allati, ac nimis distare à terminis Nostræ Praxis demonstrantur.



SIc itaque exposita Praxi, qua nunc in Criminalibus utimur, & egomet per tot annos (ferè invitus) exercui, in Arenam descendam responsurus Assumpto Authoris, qui probare intendit hujusmodi Consuetudinem, *Iuramenti* scilicet *Reis deferendi*, iuxta terminos relatæ Praxis Criminalis ex Sacræ Scripturę Canonicis, & Civilibus Sanctionibus ortum duxisse, ac approbatam apparere quamvis tot tantiq; ne dicam omnes, gravissimi Authores de ea scribentes, constantissimè afferant prefatam Consuetudinem modo supra exposito *Iuramenti Reis in Criminalibus deferendi* nullis in Legibus fundari; [a] & de facto curanti mihi ad Juridicam trutinam deferre Textus per Auctorem allegatos, nullos in terminis præsentis Quæstionis, vel per umbram loqui clarissimè apparuit.

I. Primò namque verissimum inveni in Sacra Pagina, ut Author affert, [b] quod *Si quis accomodaverit Amico Pecuniam, aut Vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat furto ablata fuerint, si inveniatur Fur duplum reddet: si latet Fur, Dominus domus applicabitur ad Deos*, (idest ad Judices, ut exponunt interpretes) [c] *& iurabit quod non extenderis* ma-

a) Bart. in. l. Marcellus § 1. ff. de furt. Clar. §. fin. de rer. amot. & l. inter omnes § recte in fin. ff. de fur. Clar. §. fin. q. 45. n. 9. vers. in contrar. Cartar. in praxi inter reor. lib. 3. c. 2. n. 12. & seq. Scapp. de Iur non script. lib. 1. c. 65. n. 4. & 5. Marsil. in pract. crimin. §. postquam in princ. & sub. n. 4. Sacc. de Iudic. lib. 1. c. 66. n. 27. ubi quod de Iure non esset deferendum Juramentũ, & prius sub c. 12. nu. 8. ubi dicit cautum lege nõ reperiri, ut sit Reo deferendum Juramentum, eumque refert Guazzin defens. 20. c. 1. in fin.

b) Exod. 22. nu. 7.

c) Liran. n. 4. Abulen. q. 6. & omnes.

manum in rem proximi sui, & si illi judicaverunt, duplum restituet Proximo suo. Et ibid. infra, [a] *si quis commodaverit Proximo suo Asinum, Bovem, Ovem, & aliud Iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, Iusjurandum erit in medio; quod non extenderit manum ad rem Proximi sui, suscipietque Dominus iuramentum, & ille reddere non cogetur.* [b] Doceat me igitur Author quomodo applicandus sit hic Textus, quomodo istius sensus convenient terminis præfatæ Praxis: In eo nempe quatuor considero, quæ Praxi prædictæ comparare conabor. scilicet *Cui, quomodo, Ad quid, & Quibus in Causis* juramentum inferebatur.

a) Exod. 22. n. 10.

b) Confer. Gen. 31. nu. 39.

II. Primò ergo apparet ex eodem Sacro Textu, quod Juramentum inferebatur *Amico, cui Res commodata fuerat*, vel *Proximo, cui Iumentum commodatum erat ad custodiam*, videlicet illi, qui tenebatur *de Iure* reddere rationem Rei, vel Jumenti commodati; In nostra Praxi verò datur etiam illi, qui nullam rationem reddere tenetur, nullis aduc præcedentibus Indiciis, immò statim in omnibus primis Constitutis; quando Carceratus adhuc inter Reos nec quidem positus dici valet.

III. Secundò ex Sacro Textu Juramentum dabatur *si latebat Fur, nullusque hoc viderit*, nempe, ut explicant Interpetres, & Auctor ipse in sua Disputatione fatetur, *in defectu probationum, & quando alia convenientia Causę haberi non poterant*: (sunt ejus verba.) In prędicta autem Praxi datur illicò in principio Causæ, nullis factis priùs diligentiis, an aliunde probari possit delictum, immò quando tot Diligentiæ tum Juridicæ, tum Arbitrarię ipsi Iudici, ut jam plenè ostendi, pro eruenda veritate adhuc suppetunt.

Tostat. p. 1. q. 7. Art. 1. §. 4.

IV. Tertiò ad id ex Sacro Textu Iuramentum deferebatur (quod attentè notandum) *ut susciperet Domi-*

Dominus Iuramentum; *& ille reddere non cogeretur*, nempè expurgabatur juramento, quod ad dirimendas, finiendasque Lites inferebatur, * iuxta illud Apostoli *omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum*, & juxta verba ipsius Authoris in Responsione, ibi *ut juramento suo stetur*, *& definiatur Causa*, in nostra Praxi dicat quæso Auctor quando stetur juramento prætensi Rei, quando per juramentum definiatur Causa? Si tot, totiesque replicatis juramentis: ac difficillimis Defensionibus inoncentiam suam ostendere conatus fuerit, postque tot, tantasque torturas Animæ, atq; Corporis aut punitur, ut demonstravi, aut super eo media predicta Fideiussione à Fisco Ius semper retinetur.

* *Tostat. ubi prox. Jansen. in Exod. 21. versic. eodem Cornel. à Lapide ibid. n.8.*

Ad Hebræos 6.

Art. & § præd.

V. Quarto denique ex lectura ipsius Textus, ibi, *Si accommodaverit Amico pecuniam*; vel *si quis commodaverit Proximo suo Asinum, & aliud Iumentum ad custodiam*: patet quod iuramentum inferebatur in Causis Civilibus, quas Auctor me docet vocari Truffas, dum etiã Expositores, & ipse Auctor sub nomine *Depositarii* vocant illum, qui juraturus erat, potius quàm in Causis Criminalibus, nempe Furti. Sed quidquid sit; quando etiam admitteretur in Causis Criminalibus, attamen in illis tantum datum fuisse patet, in quibus pœna dupli solummodo intrabat, ibi in Textu *Si illi judicaverunt, duplum restituet Proximo suo*. At in nostra Praxi non datur tantùm in Causis, in quibus intrat sola Pœna Pecuniaria dupli, verum etiam quando intrat Pœna corporis Afflictiva, imò Pœna ipsa ultimi Supplicii, & agitur de Morte, & Ignominia, non solùm ipsi Reo, sed etiam eius Filiis, Parentibus, Consanguineis, totiq; Familiæ, quod sanè summa animadversione dignum videtur ex eo quod minus, ac minus periculum perjurii in casibus præscriptis à Sacro Textu, quàm in casibus à nostra Praxi permissis:

Tostat. & Iansen. ubi supra.

Exod. ubi sup.

adesse

adesse nimis clarè convincitur.

VI. Verùm ab hoc obiecto Author præventivè se defendere conatur, colligendo ex eodem Sacro Textu casus, in quibus erat in usu juramentum ubi pęna mortis etiam intrabat, ut ipse prætendit: Ideoque, ut adamussim satisfaciam omnes Textus per eum allatos considerationi sigillatim subiiciam?

Refert igitur *numerorum Caput quintum*, ubi lege Zelotypiæ Crimen Adulterii à Suspicione purgari sancitum est per *aquæ amarę potionem*, prætendendo, quod in eo duplex Juramentum consisteret in illa Reduplicativa *Amen Amen*; Quamvis etiam interpretari posset pro replicato assensu imprecationibus Sacerdotis, prout nos Orationes omnes, & Postulationes nostras hoc ipso verbo *Amen* concludimus, verùm dato etiam, quod reduplicatum *Amen* Iuramentum importet, nunquam tamen consonum esse poterit Sacramento, quod prætensis Reis per nos infertur: In Evangeliis namque legitur quàm sæpissimè, Christum dixisse *Amen Amen dico vobis*, qui tamen taliter certè juraturus non erat, ut explicatur in *Cap. Si Christus 26. de iur. jur.*

VIII. Sed Author vim facit in authoritate Josephi *Flavii Historici Hebræi*, cui sicut inter suos, Sacerdotis officio fungenti, fides tanquam Perito suorum Rituum habenda venit, & ex eo colligitur quidem, quod fœmina dum suspicione Adulterii expurgabatur, verè jurabat: At cum ad me magis certiorandũ alios quoque Authores Hebraicæ Religionis percurrissem, inveni, quod circa tempus dicti Josephi ex consuetudine, vel potiùs Abusu à Rabbinis introducto, talis Ritus dilatatus fuit, itaut sicuti ex Textu Mulier tantummodo respondebat post impræcationẽ Sacerdotis *Amen Amen*, tunc ad multiplicandum, & specificandum Juramentum ipsa Mulier cogebatur ad male-

Antiq. Iudaicar. lib. 3. cap.

Rabbi Maimon. in Sotah. cap. 3 fol. 47. Io. Henr. Oth. in Lexic. Rabbin. philolog. sub verb. aqua amara fol. 40.

maledictionem per ſex vices replicare *Amen*; ſcilicet Sacerdoti dicenti, *Det te Iehova in maledictionem*, reſpondere debebat *Amen*: Ad Adjurationem, *Amen*; Ad *ex illo viro*, *Amen*; Ad *ex viro alio*, *Amen*: *Quod non declinavi neque desponsata, neque nupta*, *Amen* *Quod me non emaculaverim, ſi immunda facta ſim veniant ſuper me illæ maledictiones*, *Amen*. Prout habetur in *Sotab Cap. 2. fol.* 47. quod eſt pars *Miſchna*, hoc eſt *Textus Canonici Hebræorum* Authore *Rabbi Iebudà*, qui vixit ſecundo Chriſti ſæculo, & titulus idem ſignificat *De muliere declinante*.

Idem Oth. ſub dict. verb. aqua amara §. mulier fol. 44.

Voiſin. de leg. Divin. cap. 15. *fol.* 200.

IX. In quo caſu advertendum autem eſt, quod licèt Solemnitates ad præſtandum huiuſmodi Juramentum paucæ non fuerint, quæ à Sacro Textu jubentur ad effectum inducendi ſummam, atque debitam appræhenſionem erga Jurisjurandi relevantiam, attamen ſi ex Conſuetudine, vel Abuſu fuit exinde dilatatum Juramentum, fuerunt quoque auctæ Solemnitates præliminares ad Jurandum, Diligentiæ, & Cautelæ ad evitanda periuria. Primò namque à duobus Diſcipulis Sapientum Mulier comitata ducebatur Hieroſolymam coram Magno Senatu, quo perventa ab eodem Senatu monebatur, ſummoque terrore afficiebatur, ne peieraret, hocque quampluri-mis prolixis Concionibus, quæ leguntur in *Sotab*, ut illam ad confitendum adigerent, atque à Juramento, & Potu, ſi Rea eſſet, omninò deterrerent; & tandem ſi ad verba Senatus Mulier dicebat *Immunda ſum*, Inſtrumentum tantum Dotis eius diſrumpebatur, & à Marito ſeparabatur; Si verò conſtanter aſſeverabat, & periculum Juramenti, ac Potionis aquæ amarę animosè facere intendebat, tunc ducebatur ad Portam Nicanoris Templi, & non quidem ſtatim, & recta via, ſed (ut notat Rabbi Maimonides in dicto Sotah) per aliqua temporis intervalla, circumducēdo eam, ſi forte inter eundum ſententiam mutare vellet;

Rabbi Maimon. in Sotab. Oth. ubi ſup. §. poſtquam fol. 41.

Oth. ib. §. ſi adhuc dict. fol. 41. *& ſeqq.*

C Perven-

Perventa autem ad portam Nicanoris in frequentioris populi coronam trahebatur, ibique omnibus ornamentis denudata, nigris vestibus tecta, fune vimineo à Sacerdote cingebatur; Eamque ad conspiciendam quodcumque personarum genus mulierum specialiter admittebatur, hocque fiebat ad prædictos effectus (ut ait Rabbi Maimonides jam citatus) multas, atque multas alias etiam solemnitates, quas brevitatis causa omitto, ad hunc solummodo finem adiungendo, ut scilicet multiplicatis locis, ac vicibus ea moneretur, ne pejeraret, spatiumque ei daretur, ut pænitere posset, itaut etiam post Sacrificium factum postque eius nomen scriptum erat à Sacerdote in Libello, ac in actu, quo Sacerdos nomen eius abradebat à dicto Libello, permittebatur semper dictæ Mulieri dicere *Non bibam*, nec ad aquæ amare potionem cogebatur, & quod plus est, hoc ad subeundum periculum nequibat propriam ducere Uxorem Maritus zelotypus quotiescumque volebat; Sed solùm quando urgentia inditia per Testes probata habebat, quorum inditiorum qualitas, & quantitas ad probandum requisita in Mischna tali pacto præscribuntur: *Si Maritus zelotypus coram duobus Testibus Uxori dicit, ne colloquere cum N. tamen cum ipso colloquatur, huc usque tamen licita est domui suæ, & ad usum oblationis admittitur; Sed si cum illo aliquod latibulum ingreditur, & in eo tantum moratur, ut potest immunda fieri, non amplius Marito, nisi accedente potu aquę amaræ licita est nec ad oblationis usum admittitur, & si moritur eius Maritus Calceum extrahebit, nec ad Defuncti fratrem ducitur.* Clariusque huiusmodi inditia, & eorum probationes explicantur ab aliis Rabbinis, præsertim *Rabbi Ebeser*, qui sic addit. *Si Maritus zelaverit Uxorem, & Zelum suum coram duobus Testibus ostenderit*, scilicet; *Si probibuerit Uxori loqui cum N. coram duobus Testibus ex ore unius;*

qui

Rabbi Maimon. in Sotah. Oth. ubi proximè.

Mixn. num. 5. 14. Oth. ubi supra verb. aquę amaræ fol. 40.

Oth. ubi proximè

qui eam viderit ingredi latibulum; & cum illo pro tanto temporis spatio ut posset immunda fieri, vel si à Marito visa fuerit, possit mulier potari, & cogi ad iusjurandum. *Et Rabbi Iehosua* addit, nisi ipsa à Marito zelante, coram duobus Testibus zelata fuerit, visaque posteà pariter sit à duobus Testibus latitare, & commorari cum tali viro, uti supra, non posse duci Mulierem ad jurandum, & potandum. *Oth. ubi proximè;*

X. Quæ solemnitates, & cautelæ sicut mihi necessariæ videntur in tali, & tanta re invocandi Dei testimonium, ita per eas nimis differre usum exigendi Iuramentum in nostra Praxi ab illo Sacri Textus fatendum est. Tunc enim deferebatur Iuramentum quando Mulier suspecta erat urgentibus indiciis, ipsaque indicia plenè probata erant per duos Testes; nunc datur non solum levibus, sed etiam nullis præcedentibus inditiis, & ad solam relationem personæ suspectæ, nempe Relatoris, ut egomet in aliquibus casibus practicari de stylo vidi. Tunc dabatur tantùm ad instantiam Partis, quæ habebat Ius, nunc ad instantiam Fisci, quando nec etiam habet Ius interrogandi prætensum Reum super delicto. Tunc preventivè Causa deferebatur ad Magnum Senatum solummodo Hierosolymæ degentem, & in frequentiori populi corona, nunc datur, nullibi delata prius Causa. Tunc dabatur tantummodo in Templo à Sacerdote coram Magno Senatu, & omni populo, nunc ubicumque etiam in Lupanari, si contingit. Tunc prævio solemni Sacrificio, nunc sepè præviis tantùm sævitiis Birvariorum. Tunc à Sacerdote solum Sacramentum Nominis Domini inferebatur, nunc à Judice non solum pedaneo, pedaneissimo, sed etiam à simplicibus Substitutis, & infimo Notario. Tunc per impositionem manus Sacerdotis super caput jurantis, nunc per simplicem

tatillum chartæ, itaut fœminæ, rudesque homines nesciunt quid faciunt, ut egomet nonnullos audivi asserere, *nos non juravimus, sed tantummodo tetigimus chartam*. Tunc Juramentum deferebatur, quando aliunde delictum probari non poterat; Nunc quando remanent, ut dixi, tot Remedia tantæque Cautellę legitimæ, de stylo, ac consuetudine, necnon arbitrariæ ad probandum delictum. Tunc dabatur in hoc casu Zelotypiæ, juxta Textum, ibi, *Si Maritus deprahendere eam nonquiverit, sed latet adulterium*, quo non intrabat pœna mortis, sed tantũ separatio thori, juxta supra relata: & licèt post juramentum, & aquæ amaræ potionem femur Adulterę dicatur computrescere, hoc tamen non ex humana pęna, sed ex Divina potentia in pœnam potiùs illius pertinaciæ, & perjurii, quàm delicti successisse dicendum: Nunc infertur Juramentum in omnibus Causis Capitalibus, & Capitalissimis, ac quando agitur etiam de turpissima morte. Tunc tot, tantisque vicibus Mulier juratura per Senatum, & Sacerdotem priùs monebatur, ut caveret à perjurio, totiesque ei permittebatur effugere præstationē Juramenti, ac pęnæ periculum; Nunc illicò Reus cogitur ad jurandum, & si fœmina, vel rudis homo, qui, ut dixi, nesciunt quid faciunt, immò cogitur ab hujusmodi Judicibus, ac Substitutis, & Notarii, inter quos utinam ullus adesset, qui verè sciat quid sit Juramentum, quidque moraliter importet perjurium. Tunc unica vice tantùm præbebatur Iuramentum jurare volenti: Nunc millies Reus cogitur ad jurandum. Et denique tunc summa charitate erga Deum, maximaque erga Proximum. Nunc nescio quid dicam. Sed tandem observandum est, quod non obstantibus tot, tantisque diligentiis, solemnitatibus, & cautelis unicè inventis ad inducendam præventivam venerationem, ac perhorrescentiam Juramenti

menti, atque ad evitanda imminentia perjuria, nihilominus fuit omnibus prædictis derogatum à Sanedrin, idest Concilio Generali Hebræorum, referente *Rabbi Ioachan Ben Sacbai*. Immò à dicto Sanedrin fræto auctoritate *Oseę* fuit ablatus totaliter etiam usus potionis aquæ amarę, quamvis à Divino Legislatore Moyse prescriptus, hocque ad effugiendum evidens periculum perjurii, ipsaque multiplicia perjuria vitanda, quæ tunc cõmittebantur, ut refert Textus *Sotab*.

Maimon. in Sotab. c. 3. fol. 4. Oth. in dict. Lexic. sub. verb. Adulter.

Oseę Proph. 4. 14

Maimon. in Sotab. c. 9. Oth. sub dict. verb. aquæ amaræ § a quo tempore.

XI Ad tertium verò Sacræ Scipturæ locum ex *Deuteronom.* ab Auctore sumptum descendendo Legem expurgationis Civitatis pro occulto homicidio à Moyse prolatam considero jubentem, ut quoties inveniatur Cadaver hominis occisi, & ignoretur cœdis Reus, egrediantur Majores natu, & Judices. hoc est, ut explicat Tostatus Judices, & Maiores Israel, non Judices, & Majores Civitatum proximarum; Hi verò Judices Maximi mensurabant, cui ex Urbibus vicinis vicinius cadaver esset, & Urbs vicinio debebat se expurgare cum Domino de tali homicidio occulto; Quapropter subjungit idem Auctor, *& venient Maiores natu Civitatis illius*, qui pariter erant publicæ personæ, videlicet Iudices illius Civitatis, ut explicat idẽ Tostatus, & habetur ex eodem Sacro Textu. illique Seniores, seu Judices Civitatis, qui totam reprêsentabant Civitatem perfuncto Sacrificio à Moyse præscripto, ob id Expurgationis vocato, coram Sacerdotibus Levi, & Maximis Iudicibus Israel sic dicebant, *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt, propitius esto Populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel, & auferetur ab eis reatus sanguinis; Tu autem* (loquendo ad Populum Israel) *alienus eris ab Innocentis cruore, qui effusus est, cum feceris quod præcipit Dominus.*

Tostat. in Deuteron. c. 21. pag. 193. col. 1.

Tostat. ibi. pag. 198. col. 1. in fine.

Deuter. dict. cap. 21. num. 18.

XII. Ex his autem per se ipsum (non repetitis etiam sigilla-



sigillatim differentiis, & confrontationibus; quas in aliis Textibus adnotavi, satis patet nullatenus militare Textum hunc, quod clarius etiam emicat ex eo, quod omne id tendebat ad expurgandam Civitatem illam, & ad deprecandum Deum pro toto populo Israel, potiùs quàm ad jusjurandum, & hoc etiamsi juramentum consistere dicamus, ut prætendit ipse Auctor in assertiva illa *Manus nostræ*, erat namque juramentum purgativum, non autem probatorium, nec ad eruendam delicti confessionem ordinatum, ut ipse Auctor fatetur.

XIII. Atque hinc non relevat illatio ab Authore facta, quod quamvis in isto casu perjurium de facili succedere posset, nihilominus in Sacris Testibus jurari præscriptum fuisset, quoniam dato etiam illud esse juramentum, attamen quia Maiores natu, idest Iudices illius Civitatis, aut jurabant ut singuli, & quantum ad se, & nulla cadebat suspicio, quod ipsi fuerint Rei illius homicidii, ideoque non erat in eis adeò facile periculum perjurii, quale est, immò qualis est moralis evidentia in Praxi nostra; Aut vero dicti Iudices, ut patenter apparet, jurabant nomine totius Civitatis, tanquam repræsentantes omnem populum, & eo clariùs tunc minùs perjuraturi erant; vel ex eo solum quòd quando etiam ab aliquo illius Civitatis inventus mortuus occisus, vel visus fuerit, non perinde tota Civitas, & multo minus totus Populus Israel sanguinem illum effudisse dici poterat; Et tandem, ut pleniùs Authoris satisfaciamus, admittimus quoque quiquid ipse intendit; quia admisso etiam adhuc longius distare à nostris terminis, oculariter patet ex eo, quod hoc erat præceptum Domini per Divinum Legislatorem ad purgandam Civitatem illam, totumque Populum Israelis, & ideo subiungit Textus: *Et auferretur ab eis reatus sanguinis, tu autem* (loquendo ad Popu-

Populum) *alienus eris ab innocentis cruore, qui effusus est cum feceris quod pręcipit Dominus.* Quapropter nullo modo applicari potest nostræ Praxi, cum imperscrutabilia Dei Judicia non sint comparanda humanis, iuxta illud Psalmistæ: *Iudicia Domini verè iustificata in semetipsa.* *Psal. 18. vers. 10.*

XIV. Quartus denique, & ultimus Textus Sacræ Paginę faciliori responsione contentatur, cum ex sola accurata lectura totius Capituli ab Authore in parte tantùm relati responsio per se ipsam resultat, quod brevitatis causa relinquo, sed unusquisque certiorare se poterit. ipse namque Author dicit *esse pracisum exemplum Iuramenti delati, pro detegendo scelere gravissima pęna plectendo*; Verùm clarè apparet ex dicto Textu Josue, Juramentum non intulisse pro scelere detegendo, nec Josue Reum iudicasse: sed Deum, qui est æterna Veritas, qui mentiri non potest, & cui nihil occultum, quod non reveletur, delictum Achan *Sorte prascripta* detexisse, ipsumque Achan *Præscripta forma* pęnæ, atque supplicii tanquam Reum damnasse: Unde Josue se merè passivè habuit, mandata scilicet Justitiæ Divinæ tantummodo exequi curando, nec verba illa *Da gloriam Deo* grammaticaliter sumpta important Iuramentum, sed ut explicat Cornelius à Lapide ab Authore relatus *Da veritatis, sive veracitatis honorem primæ & æternæ Veritati, idest Iudicio Divino, sorte hac ostenso, confitendo scilicet reatum, verumque esse hoc Dei de te Iudicium, teque verè sontem, & nocentem, & reum Sacrilegij, ut tam nobis, totique Israeli, quam tibi, tuæque saluti æternæ, per pœnitentiam, & confessionem consulas, & prosis: confitere ergo veritatem, quæ Deum minimè latet, ac mihi Dei vices gerenti, teque juridicè interroganti, constringenti indica quid feceris: Sic enim si veritatem, verumque tuum Sacrilegium quod latet* (intellige hominibus, non Deo) *manifestabis, Deum glorificabis.* Eccine igitur ad quid Josue interrogavit Achan, nempe, ut æternæ Veritati daretur gloria, utque

Iosue cap. 7. per totum.

Art. 1. §. 6.

Cornelius à Lapide in dict. c. 7. Iosue pag. 36. vers. ...

Art. 1. §. 7.

que ipse; & omnis Populus Israel possent sibi per pœnitentiam consulere, & prodesse, non autem ad detegendum delictum, illudque vindicandum, dum à Deo detectum, judicatum, damnatũq; jam fuerat, & Iosue in Achan, sive fatentem, sive negantem, Divinam sententiam mutare non poterat.

XV. Quapropter cum nullus ex præfatis Sacris Textibus terminis nostrę Praxis adaptari valeat, non dicat quæso Auctor, quod ex illis *pateat imperatum à Deo pluries fuisse Iuramentum exigi ab omnibus suspectis de quolibet crimine, & quidem gravissimo, quale est Furtum, Adulterium, Homicidium, & inobedientia præcepto Dei, quamvix ex confessione maximè instaret Reo famæ, bonorum, & quandoque vitæ jactura, ad quam avertendam, timeri prudenter poterat Reum peieraturum.* Siquidem sub his titulis verè delicta in Sacra pagina enunciata reponenda non sunt: In primo namque capite potius de Truffa, quã de Furto agitur, & si de furto, cum solummodo instaret pœna dupli: In secundo non de Adulterio, sed de Zelotypia, etsi mulier confitebatur etiam Adulteriũ, dotis amissione, ac separatione thori tantum puniebatur. In tertio non de homicidio, sed de expianda Civitate, & Populo Israel pro cadavere invento hominis mortui ex causa occulta, qui etiamsi ab alio necatus fuisset, non exinde tamen intrabat pœna mortis, dum in aliquibus casibus tolerabatur, pro quibus quatuor Civitates Refugii constitutæ fuerant à Divino Legislatore, ut etiam vindicta Consanguineorum occisi, occisores innoxii viverent. Et in quarto quamvis agatur de transgressione Divini præcepti, Reus tamen nõ ab homine, sed à Deo ipso processatus, judicatus, & condemnatus apparet. Consideret ergo Author quæso Cui, Quomodo, Ad quid, & Quibus in Causis Juramentum in Sacra Pagina inferebatur.

Art. 1. §. 8.

Exod. 22. n. 7. 10.

Num. 4.

Deuteron. 21.

Num. 35. 14.

Deuter. 4. 41. Iosu. 10. 7. Deuter. 10. 2. Iosu. 20. 2. Iosue capit. 7.

XVI. Jam enim per nos transeundum ad secundam par-

partem assumpti Authoris; in qua relatam consuetudinem Juramenti Reis deferendi in Canonicis, ac Civilibus etiam Sanctionibus fundari asserit: Et quoad Canones brevissimè me expediam, quia ex lectura eorumdem responsio ipsa promanat. Primò namque pro fundamento dictæ suæ propositionis affert Author *Capit. ex Litteris de iurejurando*, sed hoc nil commune habere cum terminis nostræ Praxis Criminalis convincitur, idque clarius per se ipsum fulgeret si Glossam in eodem *Capitulo* referre non omisisset, quam ego per extensum exponam, ibi: *Iuramentum istud de dicenda veritate præstatur solummodo in Spiritualibus Causis, ut supra* Cap. dudum 2. de elect. *Iuramentum enim de Calumnia in talibus non præstatur* Cap. Litteras de Jurament. Calumn. *requiritur etiam à Prælato Ecclesiæ de Consuetudine, præcipuè cum de facto proprio agatur, alias non videtur quod Prælatus sit interrogandus, ut supra* Capitulo Dudum; *Et per istud Iuramentum respondetur tantum de eo quod sit Unde debet simpliciter respondere Scio, vel Nescio: Sed per Iuramentum de Calumnia respondetur de eo quod credit, vel existimat*, cum requisitis illis qui continentur in Versibus productis pariter à *Glossa in Capitulo Inhærentes* 1. *de Iuramento Calumn.* Unde ex præmissis notandum quantam obligationem inferebat hoc Juramentum de veritate dicenda, quia sicuti Teste *Plutarco* apud Romanos Sacerdotibus, sola Assertione judicialiter credebatur, ita per prædictum Jusjurandum respondere solummodo *Scio*, vel *Nescio* obligabatur; Deindeque videat Auctor, quibus in Causis, & quando id Juramentum exigi licebat, quia ex eodem *Capitulo* non dabatur nisi in re quasi notoria, & in subsidium quando aliunde probari non poterat; sicut ibidem ad liquidandam sortem mutui de Bonis Ecclesiasticis, ex quo inde Usuræ probatæ jam

Cap. ex Litteris supracitat. ubi Glos. Verb. Veritate.

Art. 1. §. 11.

Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur.
Et si queretur verū non inficietur.
Nil promittetur nec falsa Probatio detur.

D appare-

apparebant, Sortis vero quantitas per Teſtes haberi non poterat.

XVII. Minuſq; convenit ex prædictis omnibus circumſtantiis alter Textus in *Cap. cum Dilecti* 18: *de accuſat.* Sed ſi quid per dictum Textum firmetur conſideremus, patet hunc etiam longiùs diſtare à terminis noſtre Praxis: immò ex ipſomet reſultat abuſus Juramenti à nobis praticati, atque abrogandus convincitur.

XVIII: Firmat etenim dictus Canon, quod ſi quis juravit de dicenda veritate, non admittatur ampliùs ad excuſationes proponendas contra propiam confeſſionem, ſed definietur cauſa per condemnationem eiuſdem Rei confeſſi in pœnam delicto condignam; Sicut è contra habetur in toto *Titulo de Purgatione Canonica*, quod ſi quis medio Juramento ſe Innocentem de objecto Crimine aſſerebat: tunc pariter definiebatur Cauſa, & liber prætenſus Reus dimittebatur. At in noſtra Praxi nec definitur Cauſa, nec condemnatur, vel abſolvitur Reus, etiamſi medio **Juramento** ſub prædicta forma Innocentem, vel Sontem millies ſe probet; [A] ſi enim fatetur delictum, datur ei ſemper *Terminus ad dicendum contra propriam Confeſſionem*, quamvis medio tali Iuramento de veritate dicenda emanatam, ac in eo termino, ſi Reus ſe falſum dixiſſe probaverit, modis ſupra relatis abſolvitur, abſque ulla periurii animadverſione: Si vero Confeſſionem impugnare non valet, huiuſmodi Confeſſioni non perinde tamen totaliter creditur, ſed Fiſcus ex proprio officio in omnibus eius partibus, tum *ex Ante*, tum *ex Poſt*, [B] eam verificare tenetur, ita ut ſi in aliqua relevante parte non verificabit, licèt in multis verificata appareat, non totaliter illi creditur ad effectum ut poſſit tota pœna delicti infligi; quod videtur quidem prima facie

A) *Reo confeſſo ſtatuitur terminus ad dicēdum contra propriam Confeſſionem etiā non petēti Clar. Pract. Crim q 65. verſ. 1. in fin. & q. 49. verſ. ſed nunquid n. 4. & verſ. eſt igitur n. 13. Angel. de maleſic. verb. qui iudex in princip. Burſat. conſ. 216. n. 229. Cartar. de exeq. ſent. cap. Bamiti c. 1. a n. 115. Farinac. q. 39. n. 32. Baiard. ad Clar. in d. q. 19 n. 49. Ambroſin. proceſſ. inform. lib. 4. c. 15. n. 36*

B) *Succin. in cap. qualiter & quando 2. n. 975 de accuſ. Vermigliol conſ. 18. n. 18. & conſ. 19. n. 9. Farin. q. 2. ſub nu. 30. circa med. & q. 81. nu. 30. Sperell. deciſ. 108. n. 1. Angel. de confeſſ. lib. 3. q 12. n. 18. ubi ratio quia non poteſt eſſe teſtis contr. ſeipſū a leout debeat etiam verificari ex parte poſt, ut plures de Praxi text. Farinac. loc. cit.* & idem dum erat Locumtenens in Civitate vetula relaxavit quemda furem qui confeſſus fuit furtum, & in diverſ. loc. indicavit nec ibi repertum fuit ut teſtatur *q. 2. ſub. n. 13. circa med.*

facie æqualitatem inducere inter Reum, & Fiscum; imò, ut ita dicam, mitiorem ostendere nostram Praxim Decreto illius *Capituli*, dum in eo præcipitur, quod Reus, post Confessionem cum Juramento de veritate dicenda, non admittatur amplius ad excusationes proponendas, sed illicò condemnetur: Utinam nihilominus potius servaretur rigor dicti Canonis, quam Æqualitas, quæ in nostra Praxi servari videtur, & in rei veritate quamplura inconvenientia involvit, quorum aliqua liceat mihi considerare ad nostri propositi determinationem.

XIX. Primò enim considerare non in congruum sanè est inutilitatem Iuramenti, dum neque pro, neq: contra nihil valet: Respectu Rei, cui non vetat certũ modum sese defendendi probando falsam suam Confessionem, nec respectu Fisci, cui non tollitur ansa probandi suam intentionem alibi, quam ex Rei confessione iurata, dum tenetur, ut dixi, sigillatim in omnibus partibus illam, quamquam sub hoc iuramento emanatam, verificare.

XX. Secundò notandum venit non improprium inde oriri scandalum ex eo, quod in Criminalibus Sacramento Veritatis minimè, credatur; dum tam pro parte Fisci, quàm pro parte Rei probationes semper admittuntur, & quãvis medio Iuramento quis se fatetur Sontem, tale tamen crimen non perinde creditur, sed verificanda est per Fiscum tota eius confessio:

XXI. Tertiò denique quod crimen Periurii par vipendatur, si Convinctus, vel Confessus de periurio non punitur, ut leges exigunt, & quod magis mirandum per solitam assignationem termini *ad dicendum contra propriam confessionem Reo*, videtur si non stimulari, saltem permitti, ut ipse Reus impunè curare possit se se ostendere periurum, & ita probando graviùs delictum, minoris delicti pœnam

effugere, ipſumque Periurium pro Remedio, non pro Delicto ſibi computatur: Quapropter poſſet, ut dixi, contra noſtram Praxim juridicè ſic argui.

XXII. Aut Sacramentum veritatis, ſcilicet Juramentum de Veritate fatenda obligat, aut non obligat: Si obligat, utrumque Fiſcum, & Reum obligare debebit; primum nempè ad credendum, ſecundum ad fatendam veritatem. Quare igitur non dimittitur qui medio Iuramento ſe Innocentem probat juxta diſpoſitionem totius tituli *de Purgat. Canonica*, vel quare non condemnatur qui medio juramento ſe ſe nocentem fatetur, abſque eo quod ulla alia verificatione opus ſit Fiſco, & abſque eo quod ulla Excuſatio admittatur pro Reo, ut in dict. *Cap. cum dilecti* præſcribitur?

XXIII. Aut Juramentum non obligat, & quare exigitur? Quare nomen Domini in vanum invocari non tantum permittitur, ſed cogitur, etiam cum evidenti periculo, quod violetur falſo teſtimonio? Quare nomen Domini periurans non punitur, ſed juxta ſententiam Pragmaticorum Criminalium Deo ultori crimen periurii vindicandum relinquitur? Nonne alia crimina non habent quoque Deum ultorem? Intereſt Reipublicę detegere Crimina etiam leviora, ut puniantur, & maiora jam detecta nempè Perjuria non puniuntur? Sed ſi magis intereſt Reipublicæ Uſus juramenti, quàm eius totalis Abrogatio, ſervetur igitur forma pręſcripta à ſingulis Canonibus per Authorem citatis, & præcipuè poſt Juramentum de veritate dicenda amplius Probationes, neque pro Fiſco, neque pro Reo admittantur, ſed definiatur ſtatim Cauſa vel puniendo, vel abſolvendo, prout prætenſus Reus medio tali Iuramento in Confeſſione, ſeu in Negativam obiecti Criminis perſiſtat. Videat denique Author quænam maior utilitas eſſet pro Fiſco, & eligat: Utroque etenim modo ſaltem Praxis noſtra vindicata

evade-

evaderet ab obiurgationibus ipſorum etiam Criminaliſtarum eam improbantium inter quos liceat exclamare cum *Marſilio* quod *nunquam mihi placuit, nam videtur continere iniquitatem*.

Marſil. in l. quę habendę ff. de quæſt. ſub. num. 73.

XXIV. Sed ad alios Canones per Authorem citatos redeundum, quos tamen particulariter non referam, cum omnes ex Titul. *de Purgat. Canonic.* deprompti appareant, cui toti Titulo cum jam implicitè ſatisfactum ex ſuprapoſitis per nos fuerit, unum tantũ pro peculiari reſponſione hic adnectendum ſupereſt, quod *per plures Canones*, * uſus Iuramenti nullibi permittitur immò expreſsè, & abſolutè prohibetur, quoties periculum Periurii adeſſe poſſit; ideò eũdem *Marſilium* ſemper laudandum cenſeo, qui ad evitanda perjuria cum examinare Reos eí contigit, & prompti ad perjurandum ſibi eſſe videbantur, Cautelam invenit proponendi, & non exigendi Iuramentum; Qua optima quidem Cautela Ego quoque uſus fui, dum Commiſſarius Generalis pro Sanitate in Provinciis Sabinæ, & Montaneę præpoſitus examinibus Reorum intereſſe aliquando non effugiebam.

** Capit 1. & 2. de jurіur. in 6. Cap. Clericos de cohabit. Cleric. & mulier. ubi Gõzal. dat. concord.*

Marſil ubi ſup. Seraphi. de jurament. privil. 1. num. 32. & ſeq.

XXV. Abſolutis Canonibus breviùs à Civilibus Legibus mę expediam cum, ab Authore nullam ex illis citatam inveniam, ideoque abſque contradictione aſſerere proſequor, in nullo Textu Civili inveniri poſſe fundatam talem Conſuetudinem ad terminos noſtræ Praxis deferendi Reis juramentum: Eoq; fortiùs cũ ſint multæ Leges *ſpecialiter prohibentes Juramentum deferre quoties adeſt perjurii periculum: Et hinc cũ nullo Iure nec Divino, nec Humano præfatus Uſus permiſſus reperiatur, jure quidem meritò Abuſum, & Corruptelam eum diximus; Ideò ut evidentiſſimè appareat, ad idem confirmandum, quantũ anguſtia temporis in ſcribendo mihi permittat, originem huius Corruptelę ipſius Uſus Juramenti in Judiciis oſtendere conabor.

L. 2. Cod. de indict. vid. toll. L. quæ ſub conditiones 8. de con. dit. inſt. l. non dubitamus 20. de condit. & demonſt. cum aliis per Torr. de pact. fut. ſucceſſ. lib. 2. c. 22. num. 143. Michalor. de poſition. c. 13. nu. 5.

Nota quod in ſeptẽ diebus totam hanc Scripturam confeci.

ARTICULUS III.

Historia Usus Iuramenti in Iudiciis affertur, ac eius Corruptela, quando, & quomodo introducta ostenditur.



IN Sacro Textu (ficuti demonstravimus,) dabatur Juramentum ad dirimendas Lites, dabatur præcedentibus Inditiis, dabatur quoties non intrabat adeo magnū periculum Perjurii, dabatur in subsidiū Innocentiæ, dabatur ad totaliter definiendas Causas, & pro exuberanti Purgatione deniq; Juramentum exigebatur: itaut unico illo casu, nempe Zelotypiæ, in quo ulterior purgatio per potum Aquæ Amarę exigi consuevit, cum ipsius Juramenti Usus in Abusum declinasset sublatus fuerit.

Cic. pro Rosc. Plat. dialog. 12. de Legib. ex Menoch. de arbitr. iudic. lib 2. cent. 2 cas. 192. num. 8.

II. Idem evenisse apud Græcos culligitur cum usus Juramenti in Juditiis primò extiterit, ut habetur ex *Cicerone* At deinde à *Divino Platone* in suis Legibus totaliter quoque ablatus fuit eo quia facile periuraturos crediderit.

Pluta. per Salmer. to. 5. tract. 4. pag. 244 §. in primis. In cōmēt. ad Evāg & Act A post. ut citat. ipse Auctor. in sua scrip. art. 1. n. 10. id. Plutar. q. Roman. tom. 2. pag 275.

III. Apud Romanos (ut supra retullimus) teste *Plutarco* Iuramentum à Liberis, & Civibus exigebatur, Sacerdotibus solum verbum sat erat, Servis verò tale privilegium iurisiurandi non permittebatur, sed tormentis Veritas ab eis exquirebatur, ita definiendo Causas, vel per simplex *dictum*, vel per *Iusiurandum* vel per *Tormenta* iuxta qualitatem personarum: & quidem Causas omnes non solum Civiles, sed etiam Criminales, teste *Vulpiano*, tantaque reverentia religio Iuramenti observabatur, ut *Paulus* dictum reliquerit, *Iuramentum maiorem habet auctoritatem, quàm ipsa res judicata*, & summa etiam veneratione, cum contra Iuramentum probationes numquam admitterentur; nam licèt ex *Caio* habeamus, quod ex Constitutio-

l. ait Prætor. ff. de iuriurando.

l. iusiurand. ff. eod.

tutionibus Principum ex integro Causam agere permittebatur, hoc tamen adeo maximis conditionibus indultum apparet, ut potiùs Juramenti religio, quàm abusus dici mereretur: Non concedebatur enim actionem Juramento absolutam refricare, nisi tribus concurrentibus requisitis: Nempè quod *à Iudice esset definitivè absolutus, qui Iuramentum præstiterat, quod in negotio resoluto per Iuramentum nulla transactio præcessisset, & quod novum instrumentum inventum fuerit, quo solo Agens uti poterat*, ita ut potiùs nova, quàm eadem Causa dici posse videretur.

L. admonendi 31. ff eod: l. furti § qui ius ff. de his qui not. infa. l. si duo § item ff. de iureiur.

IV. Æquissimis autem hisce Moribus in Italia, totoque Romano Orbe vigentibus, Longobardorum barbaries Imperio declinante hominum mores invasit, Sexto præsertim Sæculo, vix compilatis à Justiniano Legibus, quo tempore quamvis ex [a] Codice Longobardorum reperiatur permissum fuisse vivere ad libitum vel Romanorum, vel Longobardorum Iure: Romanas tamen Leges siluisse dici potest usq; ad duodecimum circiter Seculum, quo ex mandato Lotarii Secundi Saxonis, instante Comitissa [b] Mathilde super Pandectis Amalphi in Apulia jam tunc priùs [c] repertis Legales Accademiæ Bononiæ incohatæ fuere.

V. Quam vero labem ex hac Longobardorum barbarie antiqua Methodus Iudicialis contraxerit, ab eorundem Legum Codice facillimè recognosci valet. Verùm enim verò primis eorum Legibus summa veneratione Iuramentum quoad eius Finem, non autem quoad eius Usum religiosissimè observatum fuit, adeo ut qui causam iudicatam in [d] *Mallo*, ideft in Iudicium coram Comitibus repetere tantumodo præsumpsisset quindecim solidos solvere, vel à Scabinis qui Causam ipsam priùs iudicaverat, quindecim ictus accipere tenebatur.

a] *Tit. ut Inter. Pop. Rom. qua L. velit vivere, l. Regis Holotharii & tit. Qualiter Divers leg. hom. res suas defend. deb. L. 1. & 2. Cod. Longob.*

b] *ex addit. opusculis ad Comment. Mathei. Vuesembec in Institu. Imp. editionis Patav. cap. 4. de hist seu progressu Iur. Civ. Rom. ex Iacobo Gotofredo L. C. Card. de Luc. sub tit. de servit. disc.*

c] Anno D. 1136.

d] *L. un. Tit. de his qui caus. iudic. repetere præsumps. C. Longobard.* in Mallo *idest Maius Placitũ quod à Comitibus tenebatur, vide Glos. Frid. Lindesburgi Verbo Mallum.*

VI. Duobus enim modis definiebatur per eos Causæ; aut

sæ; aut nempe *per Iuramenta*, aut *per Corporis Experimenta*. [*a*] Iuramentis definiebantur Causæ levioris summe, leviorumque indiciorum, iuxta qualitatem eorundem, ac personarum: aliquando nempe per simplex iuramentum inculpati, dum minor duodecim solidorum [*b*] pœna intrabat lævissimæque aderant probationes: Aliquando verò per *Sacramentales*, hoc est per Advocatos Coniuratores, seu Testes ad iurandum adductos, * quando scilicet Delicta erant semiplenè probata, regulando istorum Sacramentalium numerum à quantitate pœnæ, hoc pacto: [c] *Si duodecim solidorum pœna intrabat, Sex Sacramentales adhibebantur, si ultra duodecim pęna erat, duodecim Sacramentales requiri solebant, quorum medietas una ab Accusatore, altera à prætenso Reo semper eligebatur*, & ideo licèt, ut dixi, immutatus non fuerit Finis Iuramenti in eo, quod Causæ per ipsum definiebantur, nihilominus cœpit violari eius Usus, cum Sacramentales contra Sacramentales, & Juramenta contra Juramenta darentur, ea tamen Cautela adhibitâ, [*d*] ut omnibus, qui iuraturi erant, duodecim Noctes ad reflectendum permitterentur, quæ etiam, ubi opus erat, usque ad triginta prorogabantur.

VII. In gravioribus autem delictis, urgentibus maximis indiciis, experimenta corporis adhibebantur *Monomachia* [*e*] scilicet, seu execrandum Duellum, quod inter Accusatorem, & Reum fiebat, seu [f] *Acqua frigida*. vel *calida*, *Cruce*, *Ferro*, *aut Vomere candente*, & similibus Reus experiebatur; observata differentia inter Liberos, & Servos, quod istis [*g*] cum nec giurare, nec duellare permitteretur tantum Purgatio per alia corporis experimenta præcipuè Ferri, aut Vomeris candentis indulgeretur.

VIII. Hæc autem corporis experimenta ex eo; quod ad commodum expediendi statim Causas, etiam gravis-

a) *Toto titulo qualiter quis se defendere debeat de Gaudiis, & in quibus caus pugn. probibet. vel fieri deb in C. Longobard. Ferret. in addit ad Bart in controv. Iur. Civil. & Lōgob rubr. 2. fol. 4.*

b] *Tit. sup. L. 5 & l. 19. Reg Astulphi* Septuaginta solidi libramauri constituebant. *l. quoties. C. de suscep & arc. Ferret. ubi sup dict rub. 2. fol. Cod. Theodosiā ti. 25.*

c) L. 5. *& toto tit. qualiter supra citat.*

d) Tit. *suprac. l. siquis 6. & l. 16. Reg.* Luitpran.

e) *dict. tit.* C. Logonbard. *Ferret. in Variet. Iur. Civ. & Longob. rubr. de duell. fol. 12. idem de duell. Paris de Puteo. cæterique omnes de duello tractantes.*

f) *Tot. tit. de Purg. Vulgar. Frid. Lindenburg. in Glos. C l. Antiq. V. judiciū Aquę & V. Crucis Iudicium*

f) L. *si quis, & tot tit. de Parric. in d. C. Longobar. Ferret. ubi proximè rub. de Parric. & iud ferri canden & aquæ ferv & frig. sublat. fol. 8. tit. extra de purgat: Vulg. 2. q. 5. per tot.*

* L *decet* Imperialē *de homic. lib. 1. si quis de paricid. C. Longob. c. 1. §. si rusticos de pac. tenen. cum aliis sup. relat per Ferret. ubi sup. fol. 12. a tergo n. 5.*

graviſſimas, & ferè probatas fomentum ſumendo à Sacrificio, & Purgatione Zelotypiæ in Sacro Textu præſcriptis tendere viderentur, [a] adeo recepta fuere, & tractu temporis ita cõvaluere, ut etiam Purgatio per Sanctiſs. Euchariſtiam [b] quandoque admiſſa fuerit: Ac non ſine labore, maximaque conſtantia Sanctiſs. Pontifices vix ab iis Eccleſiaſticos defendere tum oppugnando, tum derogando potuerint. [c]

IX. Tali pacto intactus finis Juramenti permanſit etiam inter Barbaros, licet ejus uſus aliquam mutationem, uti ſupra, contrahere cœperit, donec tandem ſub tempore Luitprandi Regis majus incrementum eiuſmodi mutatio reportavit ex eo, quod cum ad evitanda perjuria ſpeciali lege præfatus Luitprandus [d] ſanciverit, quod Convinctus de perjurio pœnam quandam pecuniariam nomine VVidrigil ſolvere cogeretur, alteram nempe medietatem applicando Regis Fiſco, alteram Parti, ſeu Accuſatori; & ſi quis VVidrigil ſolvere nequibat, quod pro Servo daretur. [e] Hæc lex, quæ inimica perjurii videbatur ex avaritia tum Accuſantium, ſeu Partium, tum Caſtaldorum, ſeu Sculdais, ſive Scabinorum, qui Regis Officiales, & Judices ſubordinati Comitibus erant, perjuriorum fomentum paſſim devenit.

X. Tunc enim aucta fuit corruptela admittendi probationes pro, & contra Juramentum, itaut licèt prima Lis per Juramenta definiretur, per eadem Iuramenta ulterior materia litibus multiplicabatur, & non magis pro eruenda veritate, quam pro indagandis perjuriis Iusjurandum adhiberi, probationes contra probationes, Iuramenta contra Iuramenta tum à prædictis Iudicibus, tum à Partibus, ſeu Accuſatoribus pro VVidrigil exigendo pro VVidrigil evitando excitari, atque admitti paſſim incœpit.

XI. Quamobrem unuſquiſq; multis Teſtibus etiam

E median-

a] Ut habetur in *Cauſa 2. quæſt. 5. poſt. cap. Conſuliſti de infãt. ubi in Palea regiſtratum legitur per extenſum præcitat. Numeror. c. 5.*

b) *Conc. Vuormaciẽ. Can 15. relat. in cap. Legge contigit. 2. q. 5. Natal ab Alexander. in ſua Theolog. dogmatic. lib. 2. p. 2. de Euchariſt. cap. 5. prop. 4. regul. 7.*

c) *Tot. tit. de purg. vulgar. & 2. q. 5. per to.*

d] Anno 717. *Sigon. de Reg. Ital.*

e) L. *prima de teſt. & L. 1. de Perjurii. Cod. Longobard. Feret. de ver. ſignifi. Jur. Longobard. Tot. titul. qualiter quis ſe defender. deb. C. Longobard.*

mèdiante pecunia se munire attente curabat, unde expulsis Longobardis per Carolum Magnum octavo tandem sæculo, idem statim mandavit, ibi, *ut Testes ad testimonium præmio non conducantur*. Et superiùs, *non liceat Litigantibus per præmia falsos Testes adhibere, sicut hactenus fieri solet*, multasque alias pro evitandis perjuriis leges condidit, solemnitatesq; in deferendis Juramentis auxit, atque rigosiorem pœnam in peierantem inflixit, ut nempè aut dextera obtruncaretur, aut pretio eam redimeret; quæ pœna soli Falsariis Legum à Rothario per antea constituta fuerat: Verùm cum ab ista lege ficuti à predicta pœna VVidrigil potiùs multiplicata pariter essent Juramenta contra Iuramenta, & exinde perjuria, Ludovicus Caroli filius sancivit, quod ubi Iuramentũ de contrario daretur ambo in simul pugnare cum scutis, & fustibus tenerentur, & succumbenti dextera omninò amputaretur: Ubi autem hinc inde plures essent Iuraturi, quod unus ex utraque parte eligeretur ad præfatum duellum, & succumbenti pariter dextera amputaretur, alii autem ex parte succumbentis quod pretio eam redimere possent:

L. 5. & 6. de Testi. in Cod. Longob.

L. 2. tit. supracit.

* *L. 1. & 2. de his qui cart. falss. contr. leg. script. C. Longobard.*

L. 10. de Testib. Co. Longobard.

L. 11. Tit. sup. cit.

XII. Sic hactenus ex Barbarorum legibus in Iudiciis Criminalibus processum fuit tantùm ad instantiam Partis reccurrentis, tum illius, qui jus habebat in Causa, tanquam principalis veluti ob homicidium suorũ, furtum, rapinam, vel similia passa, tum illorum, qui sponte sua, vel pro participatione VVidrigil accusabant. Pipinus ergo ejusdem Ludovici frater modum procedendi *ex officio Iudicis* instituit, constituendo per Civitates, & Loca Ministros, quos homines *Credentes* vocat, quique cum iurare de fideliter officio gerendo tenerentur, ii videntur hodie, qui multis in Lombardiæ locis *Iurati*, ac alibi *Sindici*, sive alio sub nomine appellantur: Debebant namque, sicut hodie isti quæcumque delicta denuntiare, & ulteriùs tum inculpatos,

Pipin. ille, qui Caroli M: fil. vide l. 25. de Epis. & Cler. Cod. Longobard.

L. 15. tit. de Off. Iudic. Cod. Longobard.

patos, tum recurrentes, seu accusantes, nec non utriusque Partis Testes coram Judicibus ducere: idemque Pipinus juramentum in manu Judicis præstari instituit, quod antea supra * Sancta Evangelia, uti Rex Rotharius imposuerat, vel supra Arma Sacrata, aut Reliquias Sanctorum semper in Ecclesiis, & nisi à Iejuniis iuxta mandata Caroli Magni dari consuevit.

XIII. Hoc igitur tempore dum Abusus Juramenti ex Iure Barbarico per judicia grassabatur, nostra Tribunalia primam Methodum procedendi in Criminalibus incæpere; Idque clariùs convincitur experientia ipsa, qua videmus: quod Venetiis, quæ Civitas duodecim ab hinc sæculis orta, unica ex tota Italia à Barbarorum iugo illesa remansit, nunquam talis abusus deferendi Reis Juramentum adhuc practicatus invenitur, immò puniuntur Ministri, & annullantur Processus si incautè non tantum Reo, verum etiam cum eo interesse habentibus juramentum delatum fuerit.

XIV. Sed cum reperiatur in Iure Canonico quodã Iuramentum de veritate dicenda, & Author pro sua sententia potiùs in ejus nomine, quam in essentia fundatus, insistat; Nihilominus, & id quoque à Consuetudine, seu Corruptella à Barbarorum Legibus proveniente primum ortum duxisse colligimus.

XV. Et sanè cum Imperator Justinianus (qui (ut se jactat [a]) invenit Juramentum Calumniæ) quam quam genericè jussisset; ut omnes Principales Personę post litem contestatam [b] tale Iuramentum præstarent, numquam tamen Clerici ad id coacti fuerunt, attento prævio edicto Imperatoris Marciani [c] ubi Clerici in Iudiciis iurare eximuntur; *Quia* [d] *Ecclesiasticis Regulis, & Canone a Beatissimis Episcopis antiquitùs instituto Clerici Jurare probibentur.*

* *Tit. qualiter quisque se def. debit. sup. cit.* L. 5. & 6. L. 2. & 6. *de Test.* C. *Longob.* L. 21. *tit. Qualiter &c. sup. cit. ubi pœnit. etiam forma iuramenti.*

Prat. Prior. nei casi crim. § dello spergiuro.

a) *L.* 1. § C. *de iur. propter Calum. Oinotl. instit. lib.* 4. *tit.* 16. *de iuram. calum. n.* 6.

b) *L. cum & Iud.* C. *de iur: propter Calũm. Autent. Litig. n.* 10.

c) C. *de Epis. & Cler. l. cum Cler. vers. quod si lis. Glo opt. in l. uni.* C. *de profes. qui in Ver. Constan.* Marcianus, *legend. quamquam c. Inherentes. de juram. Calum.* Marcus dicatur, *ut recte ibi admonet Contius & habet.* C. *de Epis. sup. cit. idẽque Marcianus est qui regnavit cum Valentiniano* Tertio.

d) 2. *quæst.* 3. *in novo &* 2. *quæst.* 5. *si quis presb.* 22. *quæst.* 5 *capit. ultim.*

Qua-

XVI. Quamobrem exinde sub Imperatore Divo Henrico, cum oriretur controversia (*a*) an generalitate prefatæ legis Justiniani Clerici quoq: comprehensi fuissent. Cum Marciani Edictum de Constantinopolitanis Clericis promulgatum, & ad cæteros Clericos non pertinere dubitaretur: Idcircò dictus Henricus hoc ad omnium Ecclesiarum Clericos indistinctè spectare declarando, præcisè mandavit: (b) *Quod non Episcopus, non Præsbyter, non cuiuscumque ordinis Clericus, non Abbas, non Monachus, vel Monialis in quacumque Causa Criminali, vel Civili Iusiurandum Calumniæ subire cogeretur*

XVII. Hoc itaque Privilegium Personale Clericorum primò equidem ex consuetudine auctum fuit; cũ extenderetur etiam ad omnes Materias, & Causas, in quibus de Ecclesiis, Decimis, & Rebus Spiritualibus agebatur; itaut Eugenius Tertius, stante insuper dicta Consuetudine, in iis Causis Juramentum Calumniæ nec recipi: nec præstari (*c*) decrevit; Sed hoc quoque suas adversas vicissitudines ex moribus, seu Corruptella sæculi reportavit, dum Federico, & Henrico eius Filio natione Suevis, atque Othone *IV.* Saxone (*d*) imperantibus notum est non solum quas perturbationes Ecclesia passa sit; Verum etiam quàm communia in judiciis fuisse juramenta, (*e*) seu corporis Experimenta * à prædictis Barbarorum Legibus derivata: Propterea & præfactum Privilegium Clericorum, iis presertim temporibus, violatum remansit, cum loco Iuramenti Calumniæ illud de veritate dicenda inveniretur, ut docet *Lagus*, ibi: (f) *Cum Imperatores bonorificè sentiendum de Religiosorum ordine iudicassent, eius reverentia hoc tribuerunt, ut Clerici non possent cogi ad præstandum Iuramentum Calumnię, quasi iniquum esset de eorum innocentia tale quid suspicari: Unde postea quoque inolevit, in loco eius Iuramenti Clerici iurent de veritate dicẽda.*

a) *Ex Cap. Jnerentes de Iuramen. calum. ubi glos. Verb. canonibu: cap. Jnerentes 1. de Iuram calum. & ibi glos. in casu.*

b) *Cap. sup. cit. ubi Glos. in cas. vers. Unũ statuit.*

c) *Cap. litteras de Juram. calum.*

d) Federicus, vulgo Barbarossa, Henricus eius Filius, & Otho IV. ab ann. 1152. usq. 1221.

e) *Paris à Put. Altẽ dul. Ferret. de Duell. & õ ies ãtiqui de hoc trac. Lagus ut inf.*

* Apud Saxones tunc t̃eporis inter ceteras Purgationes Vulgares una fuit, ut in Quæstionibus Honoris utrique Litigantes in Lacu se eiiciebant, & qui demersus remanebat in profundo, pro innocẽte reputabatur, qui vero super aquis adhuc vivus redibat, tamquam & à tali Elemẽto reiecto, culpa ascribebatur, & puniebatur *Ioan. Isilonius de Nat. Constant. Membr., punct. 2.*

f) *Corradus Lagus in tradit. methodica utriusq: iuris par. 5. c. 18. nu. 6.*

*Et

* Et equidẽ tunc Innocẽtius Tertius ſtatim cum Pontificatus Apicem aſcenderit, prędictos Abuſus viriliter oppugnavit. Primò enim, ut ipſe ait, Purgationes Vulgares, & præcipuè execranda Duella expreſsè prohibuit. (*a*) Multaque præterea circa Juramenta ſancivit, ut videre licèt eiſdem *Titulis* (*b*) ab eo pro maiori parte confectis, inter quæ, cum forſam ex conſtitutione temporum opportunè omninò abrogandum illud de veritate dicenda non iudicaſſet, ad trutinam tamen ſimplicis Purgationis Canonicæ idem reduxit, dum ſupletivum, & definitivum fore decrevit, & ne eidem contrariæ Probationes ſeu Excuſationes amplius admitterentur ſancivit, ut in *Cap. Cum Dilecti* (*c*) per Auctorem ſup. cit.

* . *Annot.* Laghi Sub Federic. & Henrico atque Othone IV.

a] *Cap.* 1. *de Purg. Vulgari.*

b] *Vid. Tit. de Iureiur. de Juram. Calum. de Purg. Vulg. de Purgat. Can. & de Acuſ.*

c) *Dict. cap.* 18. *de Accuſation.*

XVIII: Ita pariter Honorius Tertius eius immediatus Succeſſor *cap. ex litteris* ab Auctore quoq; allatum, in eo particulari caſu Uſuræ Archiepiſcopi Colocenſis, quæ per famam notoria jam erat, & ubi omnia requiſita ad exigendam Purgationem Canonicam aderant, cum à ſuis Delegatis monitus fuiſſet non aliter quam per Juramentum de veritate dicenda eam Cauſam definiri poſſe; neceſſitate itaque ductus, ut ipſe declarat: *ne defectu talis Iuramenti, Iuſtitia, (occultata veritate) ſuccumbat*, id præſtare mandavit. Ex adversò tamen pro Immunitate præfacti Privilegii Clericorum Federico ſecundo Eccleſiaſticæ Auctoritati adeo infeſto, intrepidè reſiſtit; Quia cum iterum inſurrexiſſet eadem prætenſio, ut ſub prædicta Juſtiniani Lege Clerici quoque comprehenderentur, & cum idem Iuſtinianus aliundè decreverit. *Canones Patrum * vim etiam Imperialium legum habere.* Honorius equidem tali facultate utendo, non tantùm Auctoritate Pontificia, ſed & Imperiali *inretractabiliter* definivit: *ut cuiuſcumque ordinis Clericus in quacumque cauſa Civili, ſeu Criminali Juſiurandum non compellatur qualibet ratione ſubire, ſed alios ad*

Ex litteris de jur. iur.

Federicus ſecundus Suevus Federici, Vulgo, Barbaroſſa Nepos

Ca. Inerentes de jur Calumn.

* *In Auth. de Eccl. cit. in princ. Coll. 9. & in Auth ut Cleri. apud prop Epiſ. § illud coll. 6. per Gloſ. in cap. Ineren. ſup. cit. verb. Vim.*

hoc

hoc liceat eis delegare, quatenus Ecclesiæ suæ expedire noverint, obtenta tamen priùs ab eorum Superioribus licentia.

XIX. Hoc actenus circa & præfactum Iuramentum de Veritate dicenda. Cæterum quo fundamento Auctor insistat ex iis duobus Canonibus tantùm ab ipso allegatis Nostram Praxim Iusjurandum, quo nunc utimur, desumere potuisse, sibi durum est demonstrare: Sed quidquid etiam fuerit, vel sit: semper tamen ex Consuetudine, seu Corruptela à Barbarorum Legibus proveniente primam eius originem traxisse dicendum. Quinimo & illam Corruptelam nunc adeo remanere corruptam, ut Substantia, Forma, Causa, & Fine totaliter mutatis, nil præterquam nomen huiusmodi Iuramenti retineatur.

XX. Quomodo verò, & quando hoc evenisse, durissimum quoque mihi sigillatim refferre; Quatenus rationabiliter non arbitretur tractu temporis introductum, atque mutatum fuisse, sicut experientia in Nostra Praxi quotidie nos docet. In uno namque Tribunali datur casus, quo Iudex extraneæ Ditionis, seu differentis Complessionis, vel nimio Zelo, aut alio motivo correptus novum Usum, seu Corruptelam introducit, quæ postea fit exemplum, eiusdemque Tribunalis Stylus evadit: Et inde cum eodem Judice in alia Tribunalia transit, vel ab aliis Judicibus, seu Tribunalibus ex arbitrio, ac aliquando & repugnante Jure assumitur, & sic de Tribunali in Tribunal. immò de Casu ad Casum extenditur; Quin etiam illimet Judices, qui talem novam Corruptelam introduxere, aut qui deinde practicarunt, vel qui practicare viderunt, & aprobarunt, semper eam defendere conantur, Quæstiones scilicet super ipsa tractando, Volumina scribēdo, Rationes ex quibuscumq: Legibus extorquēdo, eas sæpè ex Vocibus potiùs, quam ex Substantia interpretando, extendendo, atque ad propriam sen-

am ſententiam coactè trahendo, Doctores diverſarum Regionum, diverſarumque Legum, atque Temperamentorum, vel in genere, vel etiam diverſis in terminis loquentium colligendo, ac denique omnibus juxta proprium ſenſum compoſitis multitudine potius Allegationum, quàm Rationum propriam firmando intentionem; Sic itaque Corruptella fit Stylus, inde Conſuetudo, ſeu Lex non ſcripta, poſtea Authoritate Scribentium Lex quaſi ſcripta, & poſtremò cum in Bannimentis, & Conſtitutionibus regiſtrata legatur, Legis etiam Scriptæ vim acquirit, nec ampliùs poſtmodum à Fiſco relaxatur, cum iſtius ſit mos nova ſemper acquirere, acquiſita nunquam dimittere.

XXI. Quapropter cum Uſum Juramenti à Barbarorum Legibus, immò potiùs ab earumdem Legũ Corruptela ita violatum acceperit Noſtra Praxis adhuc ſemper retinuit, Finem verò eius, à Barbaris etiam inviolatum mutavit; ſed cum poſtea Experientia demonſtraſſet (ſicuti & nos infra oſtendimus,) huiuſmodi Iuramentum inutilè, Praxis ipſa idem parvipendendo, tantummodo pro Formalitate, & pro Superbundanti Cautela conſervavit: Unde in gradu Simplicis Conſuetudinis talis Uſus adhuc remanſit, quia nec Doctores, nec Iudices ipſum poſitivè defendere curarunt; Sicuti non omiſiſſent, quatenus illum neceſſarium, & utilem experti eſſent: Ideoque potiùs tot alia Remedia, tot alias Diligentias, totque corporis, & mentis Experimenta contra Reum de novo invenerunt, ac inventa auxerunt, ut tota noſtra Praxis ſemper nova ad inventanda, ſuſtinẽda, ac dilatanda adeo applicata videatur.

XXII. Hinc eſt, quod preſertim prædicto ſæculo, in hac Materia Juramentorum in Juditiis adeo coru-pto, cum Veneti Statutum ſuum reformare curaviſſent, [a] & Deputati ad Officium iſtud nonnullas ob hoc

[a] Cron. Andrea Danduli M. S. lib. 10 c. 5. p. 39. Cronic. M.S. Caroldi

ob hoc postulationes Pontifici Innocentio Tertio [*a*] detulissent, quarum quinta fuit: *An indigerent absolutione, vel ipso jure sint absoluti qui invicti, ac compulsi pro vita, & rebus suis servandis jurarunt.* Et iisdem respondisset Innocentius, quod precisè legitur *in Cap. Verùm 15: de jureiurando*, ibi: * *Nil aliud arbitramur, quam quod Antecessores nostri Rom. Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales à Iuramenti nexibus absolverūt: Cæterum ut agant consultiùs, & auferant materiam peierandi, non eis ita expressè dicatur, ut Iuramenta non servent, scilicet si ea non attenderint non ob hoc sunt tanquam pro Mortali Crimine puniendi.* Unde cum ex huiusmodi responsu Veneti novissent quam inutile sit, & inane tale Juramentum, præcipuè cum indubium hactenus remaneat, si tales qui ita jurarunt à Gelasio; Gregorio, & Urbano fuissent de *jure*, vel tantum de *facto* absoluti, dum ipsa Glossa ponat in hoc duas lecturas, ibi: *Quidam exponunt de facto, quia ipso jure non tenebantur, si iusto metu jurarunt.* Ideoque alias tēporales Cautelas, & Remedia in Criminalibus potiùs, quam huiusmodi Usum Reis deferendi Juramenti, Veneti in suo Statuto servari mandarunt.

a] *Ex vetustissima Cron. M. S.* Authore Scivos *in mea Biblio theca Venetiis existen.*

* Innocentius Tertius iisdem Civibus Veneti, *Vide eod. cap. Verùm 15. de jur. iur. in fine.*

Cap eodem ubi Glos. Verb. Absolverunt.



ARTICULUS IV.

Consuetudinem, seu Corruptelam impugnati Juramenti non esse necessariam, neque utilem in terminis relata Praxis. convincitur.



Is peractis, ad alias probandas Assumpti partes properamus, in quibus hanc Consuetudinem, sive Corruptelam non esse *neque necessariam, neque Utilem detegere promisimus*: Non Necessariam quidem: nam aut prætensus Reus tenetur fateri Veritatem, quando est interrogatus à Judice etiam sine Juramento, aut solummodo tenetur quando interroga-

tur

tur cum Juramento; si tenetur, etiam sine Juramento iuxta sensum Authoris, sæpè sæpiùs in sua Responsione talem opinionem asserentis, patet ex dicto ipsius, Iuramentum convinci esse superfluum; Ad quid enim Juramentum inde adendum, quando prætensus Reus sine Juramento veritatē fateri tenetur? Ad quid Sanctissimum Nomen Domini invocandum in vanum, cum illicitum sit sine necessitate jurare, juxta sensum omnium Theologorum etiam prœcepto divino roboratum?

II. Si verò prætensus Reus non tenetur fateri veritatem sine præcedenti Iuramento: poterit etiam dubitari, quod non teneatur interveniente quoq; Iuramento: quapropter sic arguo. Aut Reus omninò *Rudis*, est, aut *non Rudis*; Si Rudis habet pro se Ignorantiam Invincibilem, ex qua excusari potest, cum sanè hæc ignorantia adeò se extēdat, ut aliqui credant nec etiā iurare, (sed tantùm tetigere Chartam, ut supra inuimus, quod pro Dicterio transit apud Rudes,) dum sic parvipendi Iuramentum in Tribunalibus nostris observant; Immò ij addunt. Quomodo credere possumus, quod tale sit verū Iuramentum, si à Iudice nunquam ei creditur? Quomodo credere possumus, quod vel Iudex habeat intentionem exigendi Iuramentum, & per juramentum nos obligare, sit tot quotidie vidimus, qui post tale juramentum de Veritate fatenda, Veritatem negarunt, & tamen licèt per ipsorum Confessionem, aut alio modo, postremò ea detecta fuerit, nunquam uti Peierantes puniti [a] fuerunt.

III. Immò solo lumine naturali arguendo prosequi possūt. Quis nos potest legitimè cogere ad nomen Domini invocandū quando nolumus illud invocare, quia patenter prævidemus nos ferre irrefragabiliter esse pejeraturos [b] ob amorem nostræ vitæ, ob amorem filio-

a) *Alex. ad Bartol. in l. 1. sub n. 1. ff de bon. cor. Boss. in prax. sub tit. de periu. Imol. inter consil. Crim. divers. Zilett. cōs. 41. in fin. Scapuc. de iur. non script. lib. 15. c. 65. n. 8. & 9. Clar. in prax. d. § fin. qu. 45. nu. 10. Granut theorem. lib. 1 theorem 3. n. 1. & seq. Bero. q. 134. n. 3. Chartar. ubi sup. d. lib. 3. c. 5. nu. 16. Bertazzol. conf. 124. nu. 1. & seq. vol. 1. ubi Adden. lit. A. in fin. apud Guazzin. ad defen. 20. c. 3. n. 1. Micalor. deposit. cap. 41. n. 7.*

b) *Cap. qui exigit 22. q. 5. cap si Clericos de coabit. cleric. & mulier S. Aug. ubi sup. Marsil. in d. l quæst. habenda. de quest. n. 78. vers. & ideo dixit.*

rum, ob amorem totius nostræ familiæ? Quis nos potest legitimè cogere ad perdendam [*a*] inevitabiliter aut animam, aut vitam? Nos non tenemur promittere nec etiam cum juramento, quod nobis impossibile est observare, [*b*] & si coacti sumus ad promittendum, nullo jure ad observandum (*c*) nos obligatos esse credimus. Impossibile autem est fateri veritatem sine inevitabili interitu nostræ famæ, atque vitæ, & idem hoc esset, quàm nosmeptipsos occidere. Possumus ne promittere, & jurare occidere nosmetipsos, & si Judex ad hoc nos coegisset obligati forsan essemus ad executionem? (*d*) Nos debemus semper curare nostram conservationem, conservationemque nostrorum (*e*) Si nos igitur confitendò morte ignominiosissima moriemur, nostra ignominia, nostra morte diffamarentur nostræ Familiæ, Uxores, Filij, Parentes nostra infamia perirent. (*f*) Non tenemur ergo prodere propriam vitam cum illorum jactura. Natura præcipit quod effugiamus periculum, præcipit quod conservemus propriam vitam, quod alamus Filios, quod alamus Parentes, Deus ipse jubet (g) *Dilige Proximum tuum sicut te ipsum*, qui proximiores nostris Parentibus, nostris Filiis, nostris Uxoribus, & pari modo illos, ac nos perdere debebimus? Sumus Christifideles, promptique sumus pro Fide subire martyria, quatenus opus sit, sed tantum pro Fide; Martyres verè Fidei essemus, si ob reverentiam Juramenti fatendo moriremur. At nimia tentatio esset nos exponere, & eo magis (*h*) quando evidenter timeri potest de nostra fragilitate: Ideo aut nolumus iurare, (*i*) aut non habemus iurandi intentionem, nec credere possumus, quod Judices habeant intentionē nos obligandi, immò credimus nec habere facultatem, ac malè agere nos cogendo ad jurandū. Habēt

siqui-

a) *Sanchez in præcep. Decal. lib. 6. c. 3. n. 7. Sayr. clau. reg. c. 12. n. 6. vers. illud tamen.*

b) *Suarez de relig. tom. 2. lib. 3. c. 8. Fagund. c. 6. nu. 24. Salmaticen. tract. 17. c. 2. punct. 5. n. 45.*

c] *Cap brevi, & cap. Quemadmod. de iureiur. cap. Beatus Paulus 22. q. 2. cap. ex parte de cleric. non residen. l. final. ff. qui satis dat ubi Gloss. verb. videtur. l. Imperatores ff. ad municipal. l. si convenit. ff. pro soc. l. quod servus ff. de condit.*

d) *D. Th. 2. 2. q. 69. a. 4. ubi Gaiet.*

e] *Vasq. 1. 2. q. 98 art. 5. disp. 174. c. 5. Navar. cap 12. n. 18. Gutieres de Iur. 1. p. c. 57. n. 24.*

f) *Cap. venientes cap. cum tuis de iureiuran.*

g) *Matth. 22.*

h] Si peierare times, nunquam iures *Bernard de modo bene Viven. serm. 32.*

i) *Cap. ne quis ibi ut si quis fortè non velit. 22. q. 2.*

ſiquidem facultatem ſuper corporibus noſtris, non autem ſuper anima ; Nonne tot aliis inventionibus in nos torquendo, non minus dictis Mentem, quam tormentis Corpora excruciant, & nihilominus Animas quoque noſtras torquere vellent? Contra Charitatem erga Deum quem probabiliter pejeraturi ſumus, contra Charitatem erga Proximum, cum prima ſit Charitas, quę incipit à ſeipſo, & cum pari modo nos tueri, ac Noſtros debeamus, itaut inevitabili neceſſitate, aut perdenda ſit anima, aut perdenda ſit vita etiam cum Noſtrorum jactura : Nos ita credimus, & ultra ſcire non curamus, cum nec ſcire teneamur, dum ſcire ultra non poſſumus.

IV. Sic & fortioribus etiam mediis Homines Rudes arguunt, & ſibi blandiēdo, propriam tamen firmat intentionem, nec valent redargui de *Credulitate* totaliter *Erronea*, nec de *Ignorantia* totaliter *Craſſa*, quia fundare vidētur hanc eorum Opinionem in Divinis, Naturalibuſq; pręceptis adeo ut *Invincibilis* hęc eorum *Ignorantia Iuris*, *&* *Facti*, nec non *Rationabilis* iſta *Credulitas*, omninò illos excuſando [a] præallatam Conſuetudinem eis deferendi Juramentum prorſus inanem, pœnituſque ſuperfluam reddunt:

V. Si autem qui conſtituitur Rudis non eſt, licèt non habeat pro ſe invincibilem Ignorantiam Juris, & Facti, habet tamen omnia prædicta argumenta, quæ à lumine naturali ipſi ſubminiſtrari poſſunt, & quamplura alia, quæ prudens eius perſpicacitas poteſt ei ſuppeditare, tum ex Sacris, tum ex Canonicis, [b] tum ex Civilibus [c] Sanctionibus cum noſtra Praxi concordatis, tum ex Theologicis, Moralibuſque rationibus eruta: quia licèt multi Doctores aſſerant, quod Reus legitimè interrogatus, & ab eo legitimè exacto Juramento (quod datur tantummodo

a) *D. Antonin. in 3 p. tit. 25. cap. 23. Angel. verb. excomm. 7. caſ. ult. Silveſt. verb. ignorantia § 16. Toled. tract. lib. 1. cap. 9. n. 11. per tot.*

b) Vide cap. Verum in ca 15. de iureiur. Civibus Venetis ab Innoc. III. Scriptum & *in fine pręced. art. per extēſ. relat.* Quod præcipuè notandum *Dict. cap. ne quis 22 q. 2. ibi.* ut ſi quis fortè non velit ad iſtam viſibilem mortē hominem prodere, paratus eiſe debet verū occultare non falsū dicere, ut neque prodeat, neque mentiatur nec occidat animam ſuam pro corpore alterius.

c] *Ulpian. ff. de bonis eorum qui ante ſenten. ſibi conſciver. vel accuſat. corrūpt. l 1. ibi.* In capitalibus criminibus à Principibus decretū decretum eſt non nocere ei qui adverſ. corruperit, ſed in iis demum quæ pœnam mortis continent, nā ignoſcēdum conſueverunt ei qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptam voluerit, *& Gloſſ.* nā unicuique licet redimere ſanguinem ſuū:

 quando

quando adest in eum semiplena probatio delicti tunc ipse teneatur fateri delictum, etiam cum gravi detrimento suæ famæ atque vitæ; nihilominùs, & quamplurimi alii adsunt, qui contrarium constantissimè tenent, inter quos juvat specialissimum afferre *Pasqualigum*, (a) absolutè contra dictam opinionem, fretum authoritate sexdecim primæ classis Doctorum, decertantem: *Cardinalem de Lugo* hanc secundam sententiam esse *valde probabilem, & in Praxi omninò securam*, (b), pariterque multos alios primæ notæ Doctores afferentem, ac contra *Turrianum*, qui paucos hanc sententiam affirmasse asserebat, sic ajentem: *sed certè ex recentioribus tot jam eam probabilem dicunt, ut ij, demptis etiam antiquioribus, sufficerent*: Et per hoc in terminis istorum potiùs, quàm aliorum Theologorum quisque dirigere se potest, & præcipuè quando hæc sententia sibi videatur magis conformari Juri Divino, atque Naturæ: Unde cum ex premissis pateat, in examine & Rudium, & non Rudium huiusmodi Usum Juramenti penitùs inanem evadere posse, ad eius inutilitatem ostendendam etiam faciliori inductione properabo, quærendo.

VII. Quæ utilitas affert Juramentum? Prodest Reo? Non sanè; quia si millies, & millies juraverit, nunquam ei creditur, nunquam dimittitur, nunquam vexationibus eximitur, nunquam à faciendis ulterioribus Defensionibus liberatur; nunquam per hoc eius Causa definitur. Juvat ergo Fisco? Nequaquam; nam si etiam Juramento Reus confiteatur delictum. non inde Fisco tollitur labor probandi tam à parte *ante*,

quàm

a) *Pasquailg. quæst. mor. canonic. centur. 3 q. 227. n. 1. Adducent Spartar. in method. corrig. Regn. Rodriq. to. 2. q. regular. 18. c. 3. Villalob. tom. 2. Summ. tract. 16. diff. 1: n. 100. Ioseph. de S. Maria in tribun. Religiosor. tr. 4. c. 2. n. 5. Homob. de statu hom. p. 2. c. 4. § quod autē Peier. de Subdit. Relig. q. 1. de obedien. § vers. limitaret. Salsed. in addit ad Diaz. c. 126. vers. 9. Sot. 4. distin. 15. q. 4. nu. 3. Regin. lib. 2. praxis fori pænitent. n. 37. Filiver. tr. 4. n. 226. Malder. 2. 2. tract. 6. c. 3. aßer. 2. Ioan Sanc. in Select. de Sacr. disp: 43. n. 29. Armil. verb. conf. n. 8. Angel. verò confes. delict. n. 1. Herera dec. 4. mor. n. 14. vers. Digo lo terzero.*

b) *Card. de Lug. to. 2. de iust. & iur. disp. 4. sec. 1. n. 15. Navar. de restit. lib. 2. cap. 4. n. 137. & seq. ubi refert Panormit. Angel. & alios Rodriquez sum. tractat. de ordin. iudicial. cap. 10 nu. 1. qui citat pro se Salsed. in pract. Criminal. c. 26. pag. 431. Vega in pract. lib. 15. cauf. 422. Lessius cap. 31. n. 16. Emanuel Sa verb. reus addēd. quod Suarez de hoc consultus anno 1596. hanc dixit probabilem & idem testatur Salas ex schedula propria manuscripta, quæ apud Card. de Lugo extabat. Villalob. in Summ. tom. 2. tr. 16. diff. 1. num. 10. Fagundez. num. 31. num. 11. Alvarez in Sum. cap. 16. § & Reo Reginald. in praxi tom. 2. lib. 24. cap. 5. sess. 3. num. 3. Portell. in dub. regular. tit. correp. frater verb. Reus numer. 24. Peirin. de subdit. Religiosor. tom. 1. quæst. 1. capit. 16. §. 1. Dian. .... tract. 1. Miscell. resol. 27. Ioan Sanc. in select disp. 43. num. 29. & novissime Carden. dissert. 19. num. 81. & in crisi Theolog. propos. damnat. ab Innocentio XI. prop. 25.*

quàm à parte *post* idem delictum [*a*] A parte *ante* scilicet, quia sine præcedentibus Inditiis si Iuramentum delatum sit, & Reus fateatur, certum est, quod talis Confessio est illegitimè extorta, ut ipse Auctor me optimè docet, nec saltem in morali sustineri valet, & proinde Fiscus non obstante dicta jurata confessione tenetur à parte *ante* probare delictum; A parte autem *post* idem Auctor versatissimus non minùs in theorica, quàm in praxi me monet, quod omninò Fiscus tenetur perfectè verificare ipsam confessionem, & quidem in omnibus eius circumstantiis, & particularitatibus [*b*]; Adeo ut si in aliqua relevanti particularitate adamussim verificata non existat per Fiscum, Reus nunquam condemnari poterit in pœnam ordinariam, sed tantum in pœnam extraordinariam, mitiorem scilicet iuxta relevantiam particularitatis per Fiscum penitus non verificatæ.

VIII: Igitur quenam utilitas per Juramentum Fisco affertur, forsan quia ex confessione iurata Reus damnatur in pœnam extraordinariam? Parva utilitas: Et tamen nec etiam hoc habetur ex tali confessione, sed potiùs ex probationibus Fisci, nempe indiciis præcedentibus ipsæ confessioni, ac probationibus subsequentibus ipsam verificantibus confessionem, adeout si Fiscus nullis præcedentibus indiciis confessionem extorsisset, & postea eam in nullo particulari verificasset, proculdubio nec etiam in pœnam extraordinariam Reus damnari posset.

IX. Obiectum instruere valeret Auctor dicendo quod si Fisco non tollitur labor probandi, tamen idem labor per huiusmodi confessionem ei minuitur ex lumine, quod sibi juvat ad indagandum delictum; & faciliùs posse verificari confessionem, quàm interrogatoriis acquirere indicia; Attamen hoc argumentum non concludit præcisè circa usum Juramenti, quia eadem

a) *Soccin. in c. qualiter, & quando 2. n. 975. de accus. Vermigl. cons. 18. n. 18. & cons. 19. nu. 9. Farinacc. qu. 2. sub nu. 3. circ. med. & q. 81. n. 30. Sperell. decis. 108. n. 1. Angel de confess. lib. 3. q. 12. n. 18. ubi ratio quia non potest esse testis contra seip.*

b) *Ut per supra relata Art. 2. § 18. in fine.*

eadem utilitas poteſt haberi à confeſſione etiam abſque Juramento emanata.

X. At error Juramenti, (ſubjungere poſſet) & metus perjurii faciliùs inducunt Reum ad fatendum: Immò & quando poſt huiuſmodi diligentiam pluries practicatam Reus non fatetur, remanent Fiſco alia remedia: poteſt enim tunc Reum etiam torturare. Difficillima, atque duriſſima ſanè argumentatio. Homo igitur criminoſus, & perditus, credendum erit, quod ex terrore Juramenti, ex metu perjurii fateatur? Qui totidem animam ſuam viliſſimo pretio, levioribuſque paſſionibus poſtpoſuit, commiſit, peſſumdedit; Tum ob terrorem Iuramenti, ob metum perjurii propriam vitam inevitabiliter perdere, credendum; quod voluerit potiùs, quàm tot ſuis criminibus etiam perjurii peccatum adjungere? [a] Si fatetur, mori inevitabiliter prævidet, ſi negat, ſpatium pęnitentiæ vivendo ſperat habere: Quæ reflexio, quamvis deteſtabilis, & iniqua, attamen utinam non daretur præcipuè in homine criminoſo, qui ſi fateatur, certè miraculum Fidei dici poteſt: Ideoque Iuramento tentare Deum, tentare animas Proximi potiùs videtur, quàm Iuſtitiæ tramites ſequi, quando adſunt tot aliæ diligentiæ, tot aliæ cautelæ, tot alia remedia pro eruenda veritate, ut diximus.

a) *Seraph. de iuram. privil. 1. n. 26. & 31. ubi quod iuram. non ſit deferendum perſonæ moribus corruptæ, quia hodie nemo eſt tam bonæ conſcientiæ qui non iuret falſum potius quam mori.*

XI. Nonne remanet ſtatim tortura imminens? Iam ſecundum Doctorum ſententiam Fiſco etiam favorabiliorem, [b] non poteſt exigi Iuramentum, niſi præcedente ſemiplena probatione delicti: Igitur iuxta prędictam Praxim, Reus poteſt hoc caſu torqueri iuxta qualitatem inditiorum, vel poteſt etiam ex arbitrio iuxta eandem qualitatem in pœnam extraordinariam damnari. Quare ergo ſtatim non torturatur, aut ex arbitrio in pœnam extraordinariam non damnatur iuxta qualitatem inditiorum, atque delicti?

b) *Tolet. dict. trac. lib. 4. c. 21. n. 9. verſ. ſecundum, & omnes Theol. Moral.*

VIII, Sed

XII. Sed Author replicando me monet, quod nō potest ad tormentum torturæ deveniri, nisi priùs factis à Reo defensionibus, & nisi iis non obstantibus semiplena probatio adhuc remaneat intacta, nec intrat arbitrium Judicis, ex stylo introductum, torturandi, vel condemnandi in pœnam extraordinariam, nisi attenta qualitate delicti, attenta malitia Rei attentoque eius corporis robore, ex quo Judex suspicari possit, quod ipse in tormento negativam sustinere valeat. Durissima replicatio, quæ (proh dolor) sic retorqueri potest. Tot igitur cautelę, & circumstantiæ Torturæ Corporis præmittuntur, & Animæ Tortura nullis prævijs, nullis attētis, nullisq; prævisis, nullis consideratis, nullis diligentiis, vel circūstātiis ex abrupto statim infertur! Judex de stylo arbitratur si ex versutia Rei prævidet quod ille negare valuerit, & non arbitratur, immò tot vicibus torturādam Rei animam committit, quamvis moraliter ipsum esse peieraturum cognoscat! Non experimur corpus, quia robustiùs, tentamus animam, quia debilior: Tentamus Deum, quia? Quia santissimus est! Horret auditus. Liceat equidem hìc refferre per extensum sensum Authoris *Operis imperfecti* S. Jo: Chrysost. attributi *Homil. 12. in Capit. 5. Matth:* quia non obstante controversia de illius legitimitate respectu Chrysostomi, esse tamen *opus disertum, & doctum, ac dignum quod assiduè legatur*, refert Sixtus Senensis; [a] ideoque iuxta castigationem [b] in hac Iuramenti materia ab eodem Sixto pręscriptam prœcipuè in concreto præsentis Questionis adducere possum. Ait igitur; *Ecce amice admoneo te, ne aliquando hominem iurare compellas, Sive existimes eum benè iuraturum recede ab eo, Sive existimes eum malè iuraturum magis recede ab eo: quia etsi ille benè juraverit tu quantùm ad conscientiam tuam periurii illius factus es causa: quia hoc proposito eum iurare compellis, non ut*

Coment. S. Ioa. Chrysost. in cap. 5. Matth. Quid igitur si aliquis exigat Juramentum, & necessitatem iurationis imponat? sit tibi timor Dei omni necessitate violētior. *Idem Hom. 9. in Act. Apost. apud Sixtum Senensē Bibliot. Sanct. lib. 6. annot. 25.*

Impli, & digni ut ab Ecclesia arceātur, qui in forēsibus actionibus, & contractibus, & fideiussionibus aut iurant, aut ab aliis Iuramentum exigunt.

a) *Vide lib. 4. Bibli. Sanctę ubi disquisitionem huius controv. agitat.*

b) *Et lib. 6. annot. 25. ubi castigationes quas sequimur ponit.*

iuret

iuret, sed ut periuret. Si autem bene eum iuraturus putares, nec iurare compelleres. O insipiens qui alterum iurare compellis, nescis quid agis. Ille etsi periuraverit, vel cum lucro periurat, tu autem sine lucro periurij illius particeps *inveneris. Qui mentiri non dubitat, nec periurare timet, qui enim mentitur veritatem in corde suo transgreditur, qui autem periurat in verbis suis transit Deum. Quid ergo interest inter Deum transire, & veritatem transgredi, cum & ipsa Veritas sit Deus? Hæc sola differentia est, quia veritatem mentientes in corde transimus, periurantes autem in verbis. Nam verbo hominibus satisfacimus, conscientia autem Deo. Ipse Deus qui periurare vetuit ipse & postea non iurare mandavit. Qui ergo in iurando non timet Dei præceptum negligere, nec in periurando timebit. Quid autem vis. Timet Deum, aut non timet Deum; Si timet, etiam sine Iuramento non mentitur, Si autem non timet neque cum Iuramento potest dicere veritatem. Audite vos Clerici, qui iurantibus Evangelia Sacra porrigitis: quomodo potestis ab illo Iuramento esse securi, qui semen periurii datis? Nunquid qui ignem portat unde conflatur incendium, alienus est ab illo incendio? aut qui gladium porrigit unde homicidium committatur, nonne est socius homicidii illius? Sic & qui occasionem periurij præstat collega fit periurii eius. Si erat bene iurare iustum, iustè dicebatis quia dedimus illis Evangelium ut iurent, non ut periurent. Nunc autem cum sciatis quia & benè iurare peccatum est,* (intellige sine necessitate) *quomodo potestis esse liberi qui occasionem datis unde peccetur in Deum? cesset ignis, & incendium non fit, subtrahe gladium, & homicidium non comittitur. Sic tolle Iuramentum* (scilicet in terminis nostræ Praxis Criminalibus) *& periurium non fit.*

Castig. iuxta sensus Sixti Senen. lib. 6. sup. relat.

XIII. At quid utilitatis Fisco hinc per Iuramentum sperare contingit? Hominem criminosum, & perditum per corporalia tormenta, quę patitur iuvat credere faciliùs semper fassurum potius quàm per spiritualia, quæ aut semper sprevit, aut nũquam timuit, tumque per spatium pœnitentiæ se evasurum confidere potest

re poteſt. Si igitur ex malitia aptus eſt ad ſuſtinenda corporalia, magis ad ſpiritualia ſpernenda aptus erit; Et ſi eum invincibilis ignorantia, vel probabilis opinio excuſare valet, inanis erit animæ tortura, inanis erit finis Juramenti pro Fiſco; remanente tantummodo periculo in erroneis conſcientiis, quæ tentatione forſan ductæ, dubitando prius jurent, deinde mentiendo negent: Unde peccare poterunt, & forſan ſine ſpe emendationis, præcipuè in homine perdito, quem ſummopere timendum eſt, ſine miraculo Divinæ miſericordiæ, nunquam verè pœnitere poſſe; ita ut deſideret potiùs ſe mortuum fuiſſe in Patibulo cũ ignominia, ac exitio totius ſuæ familiæ quàm periuriis tot temporalia mala evaſiſſe, imò utinam faciliùs credi non poſſet, quod multiplicaturus potiùs ſit peccata ex multiplicatis complacentiis ob exitũ eius periurii.

XIII. Dum igitur utilitas non adeſt nec pro Reo, nec pro Fiſco, adeſſet ſaltem pro bono Reipublicę: Sed nec iſtud ſperandum; Tali namque Corruptela Juramenti Reis deferendi deteguntur forſan delicta; atque puniuntur? Veriſſimum quidem eſt: Deteguntur, immò excitantur plurima, ac graviſſima, ut dixi, delicta: nempè periuria, quæ tamen nunquam puniuntur, quod ſanè ſummum ſcandalum, non utilitas eſt: Deum ultorem habent, Fiſcus addit, Deum ultorem habent etiam alia delicta, quamvis remaneant occulta, & ego pariter tantundem repeto, fretus authoritate D. Thomę ſic loquentis [a] *Spontanea confeſſione, vel Teſtium approbatione publicata delicta commiſſa ſunt Regimini noſtro judicare; occulta verò, & incognita Illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit, corda fidelium hominum.*

XIV. Sed quæro, in Germania, Saxonia, Bavaria, Auſtria, aliiſq; Ditionibus Ultramontanis, prout unus ex ipſimet Approbatoribus Reſponſionis eiuſdẽ Auct. advertit [b] In Gallia, teſte Claro [c] In Burgundia

a) *D. Thom. in ſum. p. 3 q. 80. art. 6. ad. 3.*

b) *Quartus in ordine approbator afferens Carpzovium in Crimin. p. 3. q. 103. Bruneman. de Inquiſition. cap. 8. ſer. 1. n. 77. &, alios.*

c) *Clar. § fin. q. 45. n 9. verſ. & ſic. Villague. in prat. interrogreor. rub. 5. c. 3. n. 12. & 13.*

teſte Caſsā (*a*) In Hiſpania teſte Ant:Gomez., (*b*) pręſertim in Regno Valentiæ, teſte Sans, (*c*) Arragoniæ, & Navarræ teſte Didac. (*d*) Cataloniæ, teſte Cācer (*e*) in Italia, in toto Statu noſtræ Venetiarum Reipub. (*f*) ut ſup. inuimus; In toto Statu Ducis Sabaudię, & Pedemontis, teſte Sola [*g*] In Statu Ducis Mantuæ, teſte Cyriaco: (*h*) Noviſſimè in toto Statu Magni Ducis Hetruriæ, teſte Sabellio (*i*), ac aliis in locis, de quibus, ob anguſtiam temporis me certiorem reddere non valeo; Quare talis Corruptela Reis Juramentum deferendi, ex Barbarorum moribus emanata, non fuit unquam introducta; Vel tractu temporis tanquam reperta inutilis, atque mala fuit abrogata: Nonne tot Ditionum, ac Regnorum Religioſiſſimi Principes toto ſtudio Juſtitiæ incumbunt, ſeduloque animo delicta inquirunt: eaque puniunt, toto ſpiritu crimina curant evitare? Si uſum Juramenti bonum noviſſent, utique proinde aut introduxiſſent, aut introductum non abrogaſſent; Si ex eius abrogatione, aut delicta impunita remanerent, aut multiplicata apparerent, proculdubio talem abrogationem retractaſſent, & in priſtinum talem uſum reſtituiſſent. Sunt etiam iſti Providi, Iuſti, ac Pii, maioremque ferè partem Orbis Chriſtiani conſtituunt. Quis nobis vaticinatur, quod ex tali abrogatione delicta multiplicanda ſint, dum in aliis Ditionibus hoc non evenit? Quis poterit dubitare hoc eventurū in hoc religioſiſſimo Statu? Malitia autem hominis aucta eſt in occultandis delictis: ait ſæpiſſimè Author. Sed ſi aucta eſt malitia, ergo majus periculum periurii. Verum ego pari gradu ſemper, & ubique viguiſſe, ac vigere arbitror: Natura enim ipſa docet effugere pœnam. Primus delinquens in Mundo Deo ipſi interroganti reſpondit. *Numquid ſum Cuſtos fratris mei?* (*k*) Divinus Legislator Moyſes Ægyptium ab ipſo occiſum abſcondit in ſabulo; Sed

a) *Caſſan. in conſuet. Burgu. tit. de iuſt. ſeu iuriſd. rubr. 1. §. 7. n. 8 fol. 360. iuxt. impreſſ. Colonien.*

b) *Ant. Gomez. ad leg. Taur. lib 67. n. 1.*

c) *Matth. Sans. de Regim: Regn. Valent. c. 8. §. 4. nu. 4.*

d) Didac. *a Cantera q. crim. q. 3. fol. 71. in fin.*

e) *Cancer. var. reſ. p. 2. c. 8. de iuram. n. 18.*

f) *Prat. Crim. del Priori nei caſi criminali. dello ſpergiuro.*

g] *Sola ad conſtit. Sabaud. tit. de Iuram. fol. 396.*

h] *Cyriac. contr. 322. n. 35.*

i) *Sabell. in Summ. diverſ. tract. §. Juramentum in fine. Fanton. in diſcurſ. de ſupered.*

k) *Geneſis c. 4. n. 10*

[*b*] Sed si malitia hominis in occultandis delictis aucta est liceat quoque dicere, quod in aliquibus Judicibus, nimis aucta est etiam sedulitas in eis perquirendis.

b] Exod. cap. 2. nn. 12. 13.

XV. At transeant omnia licita, & utilia remedia; Iuramentum verò ad quid juvat? Experientia me docuit in tribus millibus, & ultra, Constitutis, quæ retuli, & referre audivi in Sacra Consulta: ulterius, à Professoribus tam in Romana Curia quam extra, cum quibus certiorare me potui: neminem fassum vi juramenti inveniri: Et licèt Author ad hoc contra Fantonum gratis afferat, quod id facilè negari posse putaret; quia sicuti aliqui spontè fassi sunt, ita dari potest; quod fassi sint vi juramenti: facilius ei respōdeo, quod Praxis nostra non judicat nisi de externis, ex quibus fatentes an aliis ex causis, an vi juramenti fateantur distingui à Professoribus clarissimè potest. Satis autem pro nunc dixisse credo, ideoque ad aliqua obiecta, quæ remanent resolvenda, descendam.

ARTICULUS V.

Reliqua Obiecta solvuntur.



Uthor summam vim facit in eo, quod in primitiva Ecclesia usus deferendi Juramentum aderat, & quamvis talis usus, ut demonstravimus differat in Fine, Forma, & Obiecto, à terminis nostræ Praxis: quia tamen hoc ad probandum, Salmeronem [*a*] ipse affert, mihi interest per extensum referre quidquid allatis per Authorem, Salmeron ipse subnectit, ibi: *Abominandum autem videtur vitium Iuramenti etiam veri, & liciti citra necessitatem, ideo illo non nisi, ut medicina venenata tantùm in necessitate utendum, nomenque Dei Sacrosanctum tot laudibus in Scripturis celebratum,*

a) Salmeron in Commentar. ad Evangel. tom. 5. tract. 4. non peierabis. pag. 244. §. inprimis.

 & in

& in Cælo Sanctos coronans, non alio sanè modo à nobis usurpandum quam eo, quo Sacramentum Eucharistiæ ore succipimus. Et ut ad iurandum sit necessitas, opus est, ut res sit dubia, non dubitatione, quæ spectet ad scientiam, vel Ius, sed quæ non possit alia via sciri, ut qualitas rei ad vocationem Dei in testem, & periculum peierandi compenset: Debet & adesse reverentia, ideo jure fit coram Altari, vel Cruce, & Iudice, & á ieiuno, & ætatem habente, & dato spatio ad cogitandum, ut ceremoniæ istæ moverent ad reverentiam, & timorem peierandi; ob id non dabatur Iuramentum gravidis, ut habetur vigesima secunda quæstion. 5. *Nunc vero Scriba aliquis (proh dolor!), vel eius famulus ab inconsideratis Iuramentum exigit, plerumque inepta forma: unde fit, ut periuria à vulgo non magnipendantur: Cum tamen Iuramentum, cui deest veritas, vel iustitia, semper mortiferum existat.*

II. Addit insuper ipse Author authoritatem Divi Augustini, & Divi Thomæ prætendendo, quod primus dicat: *maius certè peccatum esse jurare per falsos Deos, quàm per verum Deum peierare* [a] Sed in meo Codice, multis etiam meliorum Editionum concordanti hoc non invenio: verba enim Augustini in loco per eum citato in omnibus prædictis Codicibus sunt ista; [b] *Veruntamen sine ulla dubitatione minus malum est per Deum falsum iurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter; Quantò enim per quod iuratur magis est Sanctum, tantò magis est pœnale periurium*. Ex D. Thoma pariter deducere prætendit Auctor, [c] *quod licitum sit exigere Iuramentū ab Infidelibus, quamvis cum periculo gravioris offensæ Dei, qualis est falsus cultus falso Deo exhibitus per iurantem, quæ potuit à deferente Iuramentum prævideri, quantò magis licitum erit exigere Iuramentum à reo, qui timeri potest peieraturus* Sed ego pariter hoc in meo Codice non reperio, dum in loco D. Tho. ab eo cit. sic lego; (d) *Dicendum quod licet malo uti propter bonum, sicut et Deus utitur, non tamen licet aliquem ad malum inducere: Vnde licet eius, qui per falsos Deos iurare pa-*

a) *Art. 1. §. 20.*

b] *D. August. ad Publicol. epist. 154. edit. Parisien. anno 1586. item edit. Parisien. anno 1632. fol. 268. item edit.* Trobeniā *tom. 2 ep. 154. col. 702. item edit. Basilien. ann. 1528. ead. ep. pag. 452. item edit.* Lugdunē *à Theologis* Lovaniens. *expurgat. & illustrat: ann. 1644 ead ep. item edit. Parisien. Monach. S.* Benedict. *anno 1679. tom. 2. ep 47. pag. 110. & idem refert. D. Thom. ut proximè.*

c) *Art. 1. §. 21.*

d) *D. Thom. 2. 2. q 98. ad 4. Tolet. cit. tract. lib. 4. c. 21. n. 10.*

rare pa-

re paratus est, Iuramentum recipere, non tamen licet eum inducere ad hoc quod per falsos Deos iuret. Alias tamen ratio videtur in eo, qui per verum Deum falsum iuret, quia in tali iuramento deest bonum Fidei, qua utitur aliquis in Iuramento illius, qui verum per falsos Deos iuret: Unde Augustinus dicit ad Publicolam; Unde in Iuramento eius, qui falsum per verum Deum iurat, non videtur esse aliquod bonum, quo uti liceat. Ex quibus igitur patet, corruere per se ipsa omnia argumenta Authoris: cum ab ipsis Authoritatibus ab eo adductis destruantur.

III. Et eò clariùs per seipsum destruitur alterum argumentum deductum à simili, ita per Authorem instructum. [a] *Sicuti sumere Eucharistiam bonum est, & tamen qui indignè sumit Iudicium sibi manducat, & bibit, sic sit dicendum, quod Iuramentum ex iuxta causa præstitum licitum sit, & honestum, licet cadat in perniciem illius, qui eo abutitur peierando*: Hoc namque argumentum cum sit tantummodo ita in Abstracto cōpositum, nihil concludit in Concreto nostræ quæstionis; immò retorquetur ad hominem: Nam sicuti sumere Eucharist. optimū est, & tamen non licet (ex omnium Theologorum sententia) aliquos cogere ad eam sumendam, ubi evidenti periculo indignè eam sumendi laborare prævideatur: Unde vetita fuit per Sacros Canones (*b*) Purgatio per ipsam Eucharistiam introducta, in quam D. Tho. (*c*) invehit his verbis: *Graviùs videtur si hoc Sacramento, quod est institutum ad remedium salutis, aliquis incurreret Judicium Mortis; unde nullo modo Corpus Christi debet dari alicui suspecto de crimine, quasi ad examinationem.* Ita pariter dicendum omninò venit, nullatenus permittendum, quod Juramentum ad veritatem detegendam, ac Deum glorificandum inventum præberi possit illi, qui moraliter eo peierando abusurus prævideatur, prout de facto hoc specialissimè prohibent non minùs leges Civiles, quàm ipsi Sacri Canones per nos supra relati.

a) *Art. 1 §. 19.*

b) *Cap. conclusisti distin 2. de consecrat. ca. ex tuarum de purgat. canonic. Natal. Alex. dic. Theol. dogmat. lib. 2. p. 2 de Eucbar. cap. 5. propos. 4. regul. 7 fol. 359.*

c) *D. Tho. in summ. p. 3 q. 80. ad 3. erga fin. P. Natal. ubi sup. fol. 358.*

IV Deni-

IV. Denique nec ex eo, quod in Tribunali Sanctæ Inquisitionis Juramentum Reis deferatur, deduci valet argumentum ad canonizandum usum deferendi etiam in cœteris Tribunalibus, prout Author omni vi probare conatur; Percurrendo siquidem *Carenam*, *Bordonum*, *Peniam*, cœterosque de eo tractantes vel facillimè dignoscitur differentia Praxis illius Tribunalis, ab ea nostrorum in Criminalibus; cum in eo plurima practicentur, quæ in ceteris respectivè non dantur.

V. In Tribunali namque Sanctæ Inquisitionis non adeò velociter curritur, sed quæ in nostra Praxi satis essent, immò superabundarent ad capturandum, ac etiam medio Juramento ad constituendum prætensum Reum, immò & torquendum, in illius Praxi vix sufficerent *ad observandum*, vel *ad attentè observandum*, & ad plus *ad extra carceres audiendum*, iuxta terminos illius Tribunalis, per quod non devenitur ad capturam, nisi saltem adsint indicia ad torturandum, & adsit semiplena probatio, ut de illius Tribunalis Praxi testatur *Carena*, qui addit: quod si persona esset optime famæ, & nobilitatis; maiora requirerentur indicia. [a]

VI. Quid autem in ponderando qualitatem, ac fidem testium, relevantiam, ac substantiam dictorum ex officio eiusdem Tribunalis religiosissimè practicetur: ultra supra relatos novissimè docet *Pasqualonus*. Non enim omnibus accusationibus, nec omnibus depositionibus integra fides præstatur, sed qualitas Accusatoris, qui in illo Tribunali loco Testis accipitur [b] unà cum illa ceterorum Testium prius examinatus, immò præventivè exquiruntur in eis exceptiones, quæ dari possent ad adimendam in toto, vel in parte eorum fidem. Qua forma postea, qua charitate constituantur, & examinentur pretensi Rei, & respe-

a) *Caren. de Off. S. Inquisit. p. 3: tit. 2 §. 6. n. 24. & seq. Gennen. Praxi Archiep. Neapol. cap. 68. n. 1. vers. cum carceratio 2. impression. Cauter. quæst. n. criminal. cap. 2. de probat. per testes q. 1 de indiciis ad tortur. circa finem vers. veruntamen tene menti.*

b) *Farinacc. q. 185 n. 132. Caren. d: Offic. S. Inquis. p. 3. tit. 1. §1. num 10.*

respectivè Teſtes quibuſque etiam præventivis monitis circa importantiam Juramenti, & pœnam perjurii ad jurandum perſtringantur, ex prefatis Auctoribus [a] recognoſcere quilibet per ſeipſum valet.

VII. Quinimò in eo Tribunali datur Purgatio Canonica [b], & nunquam agitur de Pœna Mortis infligenda in Reum, niſi *Relapſum, & pertinaciter Nolentem ſe retractare*, adeout pœna illa potiùs pro pertinacia, quàm pro delicto inferri videatur, [c] unde quãtocitiùs Reus confitetur, ac retractatur, mitiùs punitur, immò ſi ſpontè comparet ad confitendum ſuum delictum priùs quàm fuerit inditiatus, ſolis Spiritualibus Monitis atque Conſiliis liberè ſemper dimittitur. [d]

VIII. Ex quibus cum evidenter pateat hoc Sacrum Tribunal in Forma, ac Modo procedendi omninò ab aliis diverſificari, & quod plus eſt, diverſificari etiam in Materia, quia in ipſo agitur potiùs de Delicto Spirituali, quàm de Temporali, ideò iuremeritò ad eruendam veritatem, priùs in eo torturatur Anima, quàm Corpus: Potiſſimè etiam quia hoc Sacrum Tribunal in miniſtranda Juſtitia omnibus aliis præſtat; ac denique Juramentum in eo deferri ſuadet eadem ratio peculiaris deſumpta ex Theologicis dogmatibus, quæ in aliis omnibus Tribunalibus vetat.

IX. Certum namque eſt, quod Naturalia omnia adeò Supranaturalibus ſubordinari debent, ut illa in iſtorum obſequium, & conſervationem omninò mancipata, & ordinata appareant, ita diſponente Divino prœcepto, quod à nemine Catholicorum negari poteſt, cum certiſſimum ſit, unumquemque teneri etiam propriam tradere vitam pro confeſſione Catholicæ Fidei, iuxta circumſtantias à Theologis aſſignatas: Ex quo patet, quod cum in hoc Tribunali bonũ Fidei, quod eſt Supranaturale promoveatur, omnibus

a) *Garz. prax. S. Offic. fol. mihi 3. ibi quãdo el delico eſt de ſollicitatiõ. Caren. ubi ſup. p. 3. tit. 7. §. 9. n. 66. & ſeq. Paſqualon. Sacr. Arſenal. pag. 377. ad not. 370.*

b) *Idem Paſqualon. pag. 248.*

c) *Idem Paſqualon. innuit pag. 350. adnot 93. 95.*

d] *Caren. dic. tract: p. 2. tit. 18. §. 1. ferre per tot. præſcrit. nu. 6. & 7. & confert. Paſqualon. pag 310 adnot 96. pag. 347. adnot. 80.*

bus mediis, omnibusque cautelis etiam Juramenti posse, immò debere pro eo veritatem exquiri Justitiaque ipsa expleri.

X. Atque hinc cum pariter in hac materia subsistere non possint fundamenta sententiæ per me superiùs firmatæ, nec ratio nostræ propositionis intrare poterat, cum non adsit in Causis Fidei prœceptum de non detegendo propriam turpitudinem occultam, minusque urgeat pręceptum naturale sui conservandi, & quatenus urgeret, tenentur omninò cedere prœcepto Divino supra relato, præcipienti, quod ob conservationem Fidei quilibet propriam vitam tradere debeat: & meritò quidem; cum hoc non sit bonum commune eiusdem ordinis naturalis, sed bonum commune diversi ordinis superioris, & supranaturalis: Ideoque cessantibus in hoc Tribunali omnibus motivis supra relatis, quod non teneatur Reus confiteri cum periculo propriæ vitę, ex quo agitur in eo de bono supranaturali, iustissimè exigitur per eum Juramentum, quod in aliis Tribunalibus, in quibus agitur de bono simplici tantùm naturali, minimè est exigendum.

XI. Superest respondere postremo obiecto toties ab Auctore replicato, quod nempe si abrogaretur talis consuetudo Iuramenti Reis deferendi, tolerantia tamdiù convalidata, irrogaretur Iniuria tot Principibus, ipsique Romanæ Curiæ, quibus hactenus abroganda visa non est, indeque scandalum oriretur. Verum hę illationes quantum sint vanæ, & fallaces manifestissimè per se apparet: Quod ergo factum non fuit, fieri unquam non potest? Non quid factum, sed quid fieri debuit attendendum esse Leges nos docent (a) & licèt eædem Leges addant non esse mutanda quæ interprætationem certam semper habuerunt (b) superaddunt tamen etiam, ut explicant Glossa-

a] *Matth. de regim. Regn. Vallent. c. 10. § 1. n. 127. & § 2. nu. 119. & c. 13: § 4. a. 34.*

b) *L. 23. ff. de legibus.*

Gloſſatores, niſi evidens utilitas mutationem ſuadeat. [a]

XII. At talis Conſuetudo dici poteſt nec etiam habuiſſe certam interpretationem, dum ſimpliciter tantùm fuit tolerata; Immò nec Conſuetudo vocari meretur, cum ſit Corruptela inutilis, & mala, per errorem introducta, ut jam demonſtravimus, *& quod non ratione introductum, ſed Errore primum & deinde Conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet.* [b] Ita lege diſponente; quam *Faber* [c] explicans optime notat, *intelligi in ijs caſibus, qui poſt compertum Errorem contingunt, quia nec jus facit huiuſmodi Conſuetudo, cum non poſſit vincere rationem*, & licèt fuerit tandiù tolerata, numquam tamē fuit formiter recognita, ſed nunc ad primam Judicii trutinam deducitur: immò dato etiam quod aliàs judicata, & approbata fuiſſet; nonne inde datur reviſio Cauſæ? Et ſi primi Judicis ſententia revocatur, quęnam iniuria ei infertur? Quis autem huiuſmodi juridicam cōtroverſiam decidere debet? A quonam abrogatio talis conſuetudinis, ſeu corruptelæ expoſcitur? Nonne a Summo Pontifice, per organum Sacræ Congregationis Concilii? Durum eſt igitur dicere, quod poſſet irrogari iniuria Prædeceſſoribus, ac Romanæ Curiæ: Duriſſimum addere, quod ex hoc ſcandalum oriretur. Tot enim Principes Sœculares eam abrogarunt, & tamen quę ſcandala orta ſunt? Immò & è contra, quodnam ſcandalum ab hoc exemplo poſſet timeri? Leges à Legibus, Statuta à Statutis, Canones à Canonibus [d] Apoſtolicas ſanctiones ab Apoſtolicis ſanctionibus, paſſim abrogata videmus. Quin etiam! Legimus in Concilio Lateranenſi [e] quod *Non debet repræhenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum Statuta quandoq; varientur humana; præſertim cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas idem expoſcunt, quoniam ipſe Deus ex iis, quæ in Veteri Teſtamento ſtatuerat nonnulla mutavit in novo.*

a) *L. 2. de conſtit. Princip. ibiq; Fabr. in rational. tom. 1. & in d l. 23. ff. de legib. ubi alii.*

b) *L. 39. ff. de legib.*

c) *Fabr. in rational. ad eand. leg. 39.*

d] *Cap. recurrit. 39. q. 4. & c. 1. per tot. diſt. 31. & c. fraternitatis cap. vidua 34. diſt. Clement. 1. de iudic. cū concord. apud Gonzal. ad cap. non debet. 8. de conſanguinit. & affinit.*

e) *Celebrat. ſub Innoc. III. relat. in d cap. nō debet. de conſanguinit. & affinit.*

 Et

Et ſimplici conſuetudini, ad ſenſum quoque Authoris, in ſola tolerantia fundatæ derogari non poterit? Pro utilitate, ac neceſſitate abroganda certè ſunt ea, quę mala nec utilia, nec neceſſaria apparent.

XIII. Vis ergo ſtat, in cognoſcendo ſolummodo, an hæc conſuetudo', ſeù Corruptela talia contineat. Hoc ſub ſupremo Iudice jam pendet: Ad ipſum ſpectat judicare; Immò Ipſe tenetur ex conſcientia omninò hanc controverſiam decidere ad obtrūcandas tot quæſtiones, ac auferendas tot allegationes, quæ ex utraque parte ortæ iam ſunt, & oriri poterunt, atque ad ſedandas hinc inde tot animas. Decidat, & omnes acquieſcent. Si abrogabitur talis Conſuetudo, dicendum, quod mala recognita fuerit; Si non abrogabitur, dicendum quod bona, & egomet ex primis omnes ſenſus meos retractabo. Sed donec ſub Iudice pendet, liceat mihi ad Æternæ Veritatis gloriam eoſdem ſenſus liberè expromere.

EPI-

EPILOGUS.

Usus Juramenti in *Abstracto* licitus est, in *Concreto* nostræ Praxis est Corruptela; quæ nullis in Legibus neque Divinis, neque Humanis fundatur; sed ortum sumpsit à Barbarorum Legibus, atque ab earumdem Legum Corruptela aucta fuit, immò fuit etiam ipsa Corruptela corrupta, dum Finis Juramenti, quem ipsi Gentiles, & Barbari religiosissimè semper servarunt, quique à Deo institutus fuerat ad dirimendas, & definiendas lites, immutatus evasit. Hinc excitantur periuria, dantur probationes contra Juramentum, & peierantes non puniuntur: Quapropter, Iuramentum remansit ferè pro Forma: Nihil juvando Fisco, minùs Reo, minusque Reipublicæ: Adeout tot alia remedia addere, & innovare procuratum fuerit: De ejus enim inutilitate experientia continua nos docet: Exemplum tot aliorum Principum idem ratificat: Ac de bono exitu abrogationis intrepidè, & securè promittit. Quod ex ea multiplicarentur delicta, sine fundamento ex adverso vaticinatur. Quod in occultandis criminibus malitia hominis aucta sit; gratis aliqui Iudices exclamant, quibus proinde juvat respondere: Potiùs auctam esse eorum animosam sedulitatem in illis patefaciendis. Nonne habent tot alia Remedia, tot Cautelas, tot Arbitria? Juramentum ergo necessarium non est. Quando agatur de Fide, transeat; Sed detur ea veneratione, ea charitate, iis in terminis, quibus piissimè in Tribunali Sanctæ Inquisitionis practicatur: Sed quando agitur de bono naturali; non licet uti tali remedio, quia nimis periculosum: forsan etiam si omnia delicta detegerentur, per hoc utique omnia delicta

Tacit. Histor. lib. 4. cap. 74.

tollerentur è Mundo? Vanum est hoc sperare, quia *vitia erunt donec homines*.

XV. Liceat ergo contra Tales Judices repetere. *Audite vos Clerici qui jurantibus Evangelia Sacra porrigitis: quomodo potestis ab illo Juramento esse securi, qui semen periurij datis* *? Agite quæso quantum ad vos pertinet, & licitum est humanæ potentiæ; Deo relinquite occulta delicta, quę non potestis detegere, prout Lex Canonica iubet. Graviora nempè periuria jam detecta Deo ultori relinquitis? Quare non occulta, quę leviora etiam esse possunt? Agitæ sedulo animo; Inquirite, sed habilibus terminis; Usque ad ultimum fungimini officio vestro. Curate, exercete quidquid Fisco interest, at non quod illi non prodest, & alteri nocet.

* *Vide Sixtum Senen. lib. 6. Bibliothecæ Sanctæ annot. 25. ubi plura ponit Sanct. Patrum loca idem ferre asserentia nempe Hilarij, Hieronymi in pluribus, Chromatij, Theophilati, Euthimii, Origenis, Athanasij, Epiphanij, Ambrosij, Oecumenij.*

XVI. Tot alii Principes talem usum Juramenti, aut nunquam practicarunt, aut practicatum abrogarunt; Ij quoque iusti sunt: Puniunt delicta, eaq; inquirere, & evitare toto animo student, nec per hanc abrogationem multiplicarunt: Quid dicent ij? Quid alii dicere possent? Nomen Domini Sanctissimum est: Animę proximorum prætiosissimo Christi Sanguine sunt redemptæ, & per Juramentum exponemus primum ad evidens perjurii periculum, secundus verò adeò fortiter tentamus ad pejerandum?

XVII. Si Juramentum non tenet, quare Nomen Domini in vanum ad invocandum cogemus? Si tenet (saltem in conscientiis erroneis,) tunc ad unum ex duobus inevitabiliter Proximus succumbere cogitur; Aut vitam, aut animam perdere. Si namque veritatem non fatetur, damnat animam: Si fatetur (quod hactenus non audivi, & miraculum Dei crederem) vitam perdet, & tunc verè Martyr Fidei moriendo is dici posset; Tentamus igitur Deum, ut faciat miracula, Proximum ut subeat martyrium!

Consi-

XVIII. Confiderate Judices denique fi hæc omnia licita fint: Præcipuè in adeo Sancto Statu, fub hoc fanctiffimo Principe; Eoque magis quando tot aliæ Cautelæ, tot alia Remedia vobis remanent: Quę fi fatis adhuc non funt, nova etiam (quatenus licita) invenire curate; Torturate Corpora: Pellem pro pelle exigite: Animam verò fervate. Meque tandem protegat Æterna Veritas, quam folummodo ad eruendam, atque dicendam liberè Veritatem toto corde invocavi. Et tu Eminentiffime, ac Reverendiffime Princeps, qui me ad id impulifti, meæ parce imbecillitati, temporifque anguftiæ, qua fcripfi. Suppleat Mens tua fapientiffima, judicet pijffima Anima tua, & Deus fic te adiuvet, ut humillimè exoro: Vale.

Venetiis 20. Aprilis 1698.

Humil^mus^ *Dèvot*^mus^*: Obfequent*^mus^*. Servus*
Francifcus Trivifanus.

APPROBATIONES.

Die 19. Augusti 1698.

EPistolicam dissertationem Illustrissimi, ac Reverendiss. D. Francisci Trivisani, Patritii Veneti, &c. de Juramento Reis non deferendo, juri rationi, & æquitati consonam, nec non usu Fori Veneti inviolabiliter receptã, sentio, & assero. In quor. fidem &c.

(Ego Antonius Bombardinus in Patrio Patavino Lycæo rerum Criminalium Interpres m. p.

DIssertationem Illustriss. ac Reverendiss. D. Francisci Trivisani Patritii Ven. de Juramento Reis non deferendo, uti Iuri, ac Rationi consonam, SS. PP. ac Sacrarum Paginarum certissimo munitam præsidio, egregià verò, ac singulari eruditione prestantem approbo, ac suffraggio meo recipiendam, probandamque censeo.

(Nicolaus Comninus Pappadopoli Abb. S. Zenobii Philosophiæ Theol. ac I. U. D. & in Patavina Accademia Sacrorum Canonum Ordinarius Antecessor.

DIsquisitionem Illustriss. & Reverendiss. D. Francisci Trivisani Patritii Ven. Viri quidem acerrimi ingenii, gravissimi judicii exquisitæ prudentię, spectatę experientiæ, ad omnia summa nati, & facti, de Iuramento Reis non deferendo, rationi, & equitati consonam, ac in usu fori Veneti receptam esse, sentio &c.

(Ego Stephanus Cardeira, Com. ec. Eques in Lycęo Patavino juris Cæsarei Publicus Professor &c.

Die

Die 21. Augusti 1698.

DOctissimam, atque absolutissimam, præfati Illustris. ac Reverendiss. D. Francisci Trivisani Patritii Veneti, Epistolam, juribus, ac rationibus cumulatissimè firmatam, verissimam esse censeo.

(Ego Io: Baptista Cessis in Patavina Academia in Prima Institutionum sede Antecessor.

Die dicta.

ILlustriss. & Reverendiss. D. Francisci Trivisani Patritij Veneti, insignis eruditionis viri, Epistolam statuentem Reis juramentum haud esse deferendum, uti juri, & rationi consonam in omnibus suis partibus laudo &c.

(Ego Io. Baptista Gnagnoti Eques, Iuris Civ. ord. Antecessor in Patavino Lyceo.

VIri doctissimi, Illustriss. & Reverendiss. D. Francisci Trivisani Patritii Veneti dissertationem, in qua sustinetur reis Juramentum deferendum non esse, uti juribus, & rationibus consonam, approbo, & laudo.

(Ego Ioannes Baptista Co. Doctorius Pub. Leg. Professor in Patavina Universitate.

ERuditam Epistolam Illustriss. Viri Patritii Veneti, Francisci Trevisani, de non exigendo Juramento à Reis ob crimen præsertim capitale in jus vocatis, legi; rationumque momenta probavi, espectatis maximè circunstantiis, in praxi servari solitis. Die 28. Augusti 1698.

Fr. Giacintus Serry, Doctor Sorbonicus, primariæ Patavinæ Cathedræ D. Thomæ Moderator Ord. Prædic.

Die


Die 27. Augusti 1698.

ACcuratè legi Dissertationem de Juramento Reis non deferendo, Illustriss. & Reverendiss. Domini Francisci Trivisani, Patritii Veneti, Viri, ob eximiam eruditionem, ac singulares animi dotes, longè spectatissimi: in qua ex purioribus Antiquitatis Fontibus, summa quadam solertià, firmiorem, tutioremque doctrinam haustam, corruptas consuetudines detectas, Pietatem quoque pro Animarum salute magnopere promotam inveni. In quor. fidem &c.

(Ego Michael Angelus Fardella Sac. Theologiæ Doctor, & in Patavino Lycæo Publicus Professor.

Die 28 Augusti 1698.

SImiliter & ego Petrus Amai I. C. Coll. Patav. Præpositus Sanctę Sophiæ, & in Episcopatu Pad. causarum Aud. Gen. scriptis huius lectissimi viri: Minervæ suffragium emeriti, calculum candidum libenter adijcio &c.



Die dicta.

DIssertationem Illustriss. & Reverendiss. D. Francisci Trivisani Patritii Veneti, Viri Clarissimi & omnium Virtutum Genere cumulatissimi, de Juramento Reis non deferendo, tanquam Juri, & rationi Consonam approbo, & subscribo.

(Ego Andreas Bonzaninus J. U. D. & in Patrio Patavi. Foro Judex &c.